



74, 151

~~6858~~
Uc 7732

A N N A L E S
S T A N I S L A I
O R I C H O V I
O K S Z I.

Adiunximus
VITAM.

PETRI KMITÆ.

Sim. Loir. P. 144.



D O B R O M I L I.

In officina Ioannis Szeligæ,
Anno Domini 1611.

SIGISMUNDO
GRVDZINSKI.
SVPERILLVSTRI PA-
LATINO RAVENSI.

MVtari homines, mores eosdem ma-
nere, experientia docet, antiqui-
tas probat, hi Annales, quos tibi sacra-
mus, non obscure notant. Nec à longe
hic circulus ducendus. Nondum aureus
sol centenarium cursum peregit, cum tu
videbis eadem, quæ nuper omnes vidi-
mus: quæris cur id ita se habeat? dicerẽ
ANAKYKLISIN, quam multi obseruarũt,
Polybius optimè expressit, sed non satis
hoc tam breui tempore omnia constant:
potius Genium & ingenium huius Rei-
publicæ nosco & agnosco, quæ nulla re
à fine suo impediri potest, Aquæ similis,
diluit



VHs 115 0104

diluit diruitq; obstacula, quæ impediunt naturæ illius vim, tam lentè, vt vix animaduertas; sed tam fortiter, vt obsisti non possit. Nec ignoro nullibi plura, quæ apud nos, bona & mala venena nasci. Non defuere aliqui, omnibus seculis, quibus CONSUS in corde & ore: sed nec deerant, nec defunt plures, qui malis consultis animos dilacerarent, vt corpora verberibus, quod diuinus Plato dixit. Vidit hoc ante me Dlugossus, qui in ipso vestibulo historiæ suæ, dum se DIVO SIBIGNEO, viuus mortalis, mortuo immortalis, insinuat, nullam in orbe gentem inuidiæ obnoxiam magis queritur, idque cælo & Astris adscribit. Bene vidit, sed, pace magni viri dictum esto, male iudicauit. Inuidia & adulatio vermes sunt fimo infimo nati, nil illis cum cælo & Polo. Opes ingentes in manibus horum, quibus adulari solet, faciunt, vt his qui dant, adultores: illis qui accipiunt inuidi, non defunt. Prætulit mihi facem Miechoui-

chouiensis, vt hoc videam, sentiam, dicam. Officiales nunquam permutati, inquit ille, communi bono postposito priuatis commodis inhiant. Vbi priuatae spes, & vnus in manu publicæ res, qui fieri possit, vt assentatio summo, Inuidia æquali, vtræque Reipublicæ, non noceant? Nec latuit hoc antiquitatem. Nam Dlugossus circa Annum Trigesimum Quintum supra Millesimum Quadringentesimum, & suffragiorum nobilitatis ad Magistratus, & successionis in Magistratibus meminit. quod, vti alia bona, eadem pestis pessumdedit. Sperare, vti licitum est, ita nil impedit, fore tempus, quo hæc melius habeant: nunc ad te, & de te pauca. Quidni? iustam ad causam tria verba satis sunt. Ad te de Orichouio. Negari non potest & multos & præstantes Historicos habere gentem nostram: tamen & id concedi mihi debet, eos qui loco inferiore nati, & angustius educati, licet doctissimi fuerint, ea nō

ea non habere in scriptis, quāquam nec dicere in Concilio, nec in Republica operari, quæ illustres simul & docti. de his aliquando. nunc de Historicis. In hac classe sunt, Bernardus Vapouius, Herbulus Castellanus Sanocensis, & Stanislaus hic Orichouius. qui cum spem honorum nullam habet, rapidius fertur, & plura, vt sic dicam, saxa euoluit. non tam sibi, quam lectori commodus. planè exiguus illius hortulus POLITICON copiosius fert, quàm aliorum ingentia prata & arua. Nam quibus videtur non debere nos esse priscae virtutis, ô sol quod tu genus hominum nunc adspicis! Saltem videant patrum suorum mores, eorum si se filios esse nolunt, vt cedunt virtute, cedant patrimonijs, desertores virtutis paternæ. De te quid? Familia natus amplissima ita te comparasti, vt animum virtute, vultum modestia, vitam honestate ornares. Sic priuatus optimi ciuis, Senatoris verò integerrimi pu-

rimi publicè nomen adeptus es. Crede mihi, cum hanc præclaram, & à multis desideratam Historiam in lucem darem, percurrisse me animo, quis libro honori, & cui liber ornamento esse posset. Nemini detractum volo, tibi tamen hoc monumentum, ære perennius, dicandum venit. In te omnia solida, & supra dubitationem, vident hi, qui rectè vident. Quid ni enim tu libro honori! Accessisti ad Rempublicam vt vir optimus, durasti vt Senator integerrimus, tulisti quæ maximi, expectas quæ summi: Quid ni tibi liber ornamento! Orichouius eam habet nominis claritatem, vt in vniuerso orbe ipsius scripta desiderentur, & cōplectantur, in hoc verò opere seipso maior est, nec illi aliud quàm longior Historia deest. Alia ipsius opera Summis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus dicta sunt; hoc præclarissimum & legibus moribusq; nostris pernecessarium

farium tibi optimo & amantissimo
Reipublicæ Senatori dicatum esto.
Sed nos de maximis tuis virtutibus
olim clarius & amplius, nunc te Pa-
triæ saluum, nobis tecum Patriam sal-
uam, optamus. Vale.

Tuus nexu & vsu.
DD.

SIGISMUNDO AVGVSTO DEI GRATIA.
POLONIARVM, LITHVANIÆ,
RVSSIÆ, PRVSSIÆ, POMERANIÆ,
MASOVIÆ, LIVONIÆ, SAMOGLI-
TIÆ, VOLHINIÆ, KIOVIÆ,
PODOLIÆ, MAXIMO
REGI.



NIL minus conuenire vi-
debatur, quàm me in hac
mea priuata, rusticaq; vita,
ea ad M. V. scribere, quæ
nobis diuinitus offeruntur, quæque in Po-
lonia sub M. V. iustissimo atq; Clementis-
simo REGE, diuinitus aguntur. Nam si
DEVS dispensator est temporum, vti cer-
tè est, quis non reprehenderit, consilii
mei causam, rationemq; ignorans, me o-
pera Dei diudicare, & ea sub grauissimo,
M. V. nomine posteritati velle tradere?
Itaq; diu multumq; cogitabam, primum,
num hæc scripta mittenda M. V. forent,
ne curiosum me rerum suarum inquisito-
rem esse existimaret. Deinde verò metu-

▲

ebam

ebam Deum ipsum cum viderem me illi-
us prouidentiae parem orationem non af-
ferre. Sed cum M. V. vt illa ederem im-
peraret; Diuini vero numinis clementia,
vt generi humano benè Consultum sit cer-
to constaret, omni cogitatione & metule-
uatus fui. Statui ergo nos duas res in hac
mortalitate nostra praestare oportere. V-
nam vt omnis vita nostra, ad summum il-
lum omnium bonorum finem Deum per-
tineat: Alteram vero, vt qui qualesue fu-
erimus, generatio etiam altera cogno-
scat, & accessi ad res nouissimorum die-
rum conscribendas, in quibus notandis
ac tradendis, & ad M. V. gratiam me per-
uenturum, & à Deo Opt: Max: culpae in-
dulgentiam, pro mea voluntate impetratu-
rum confido, cum hos nouissimos die-
es, ad hanc solam regulam exigam, vt ex
ipsorum cursu intelligam, quam longè ab-
simus à Deo, & quo exemplo erimus fu-
turis temporis. Hæc causa, hæc ratio, e-
tiam est horum scriptorum meorum. Non
enim hæc scripsi, vt vel M. V. vel cuius

alteri

alteri me vindicare, aut innotescere vel-
lem. Sed quoniam tubam illam Euange-
lii Diuum Paulum, tanta autoritate canen-
tem audieram, nouissimos esse hos dies,
instareq; tempora periculosa, scire vole-
bam, quantum hoc illius sanctissimi viri
praeconium ad nos quoque Polonos atti-
neat. Atque huius mei instituti, amplissi-
mum capere fructum. Nam non ita in spe-
culo apparent rerum formæ, quam in re-
bus praesentibus Polonicis cum Paulo
promissa tempora apparere mihi sunt vi-
sa, quæ mihi fidem fecerunt verissimè præ-
dixisse Paulum, Dies autem id est, Nos
malos esse, quibus ira pro meritis immi-
net Diuina, quæ omnium successum à no-
stris consilijs excludit, quæ effundit con-
tentionem super nos, & quæ apertè cla-
mitat, inter nos versari Anathema illud,
quod occultè pestem, atque perniciem
Poloniae Regno molitur: Sapientissimi il-
li ac sanctissimi veteres, quoties publica
illis non succedebant consilia, toties di-
cere solebant tristes. Non est in medio

A 2

nostri

nostri Deus, Nec alter Moses, Iosue, Dauid, quique cum potestate antiquitus erant, qui iram leniebant diuinam. Ex rerum nostrarum incerto cursu, ad horum sanctissimorum virorum exemplum inferat M. V. oculos, in res Polonicas pr̄ntes, dicet profectò in medio nostri Deum non esse. An ego Deum inter nos esse dicam, cum videam nullo certò exitu consilia publica terminari: cum tot quæstiones Comitiorum sine fine, quot annos, numerem; cum illam parendi, atque imperandi proportionem dissolui quottidie, magis ac magis sentiam. Profectò Serenissime Rex hæc rerum nostrarum horribilis forma perteruisset Sanctissimos illos veteres, vt in cinere & cilicio pænitentiam agerent & rebus obuiam irent, ac se suosq; ante interitum corrigerent, Velim autem M. V. mihi ignoscat, si de communibus malis, communi more ad M. V. scribam, quod non facerem, nisi me ad id impelleret, conscientia, vt ad M. V. scribam, in cuius manibus tot gentium,

atque

atq; nationum vitam atque mortem Deus apud nos collocavit. Mitto autem hos Annales meos ad M. V. quæadmodum M. V. iussit, quos ego adhuc cum nemine communicaueram. Nam ipse mihi hæc commentabar, vt haberem propositam ceu tabellam, domi, in qua voluntatem Dei erga nos assidue depictam viderem. Dignos verò puto, qui à M. V. legantur non propter orationem, quæ nimium rudis, ac barbara est, sed propter res ipsas diuina prouidentia ad nos permissas, quæ si ponderibus, suis examinentur digna videbuntur esse, quæ veterum, Oratorum ac historicorum, stylo celebrentur. Reliqui Annales sunt duo, apud me domi, quos ad Conuentum Lublinensem, ac inde ad profectionem M. V. in Lithuaniam deduco. Hos retinui, quod turba molestus esse M. V. nolui. Illos quoq; mittam, cum id velle M. V. intellexero. Benè ac fæliciter valeat S. ac Sereniss. M. V.

R E G I A Cui me, studiaq; mea, ac res meas tenues supplex commendo.

Data ex Zurouicze meo Paterno rure mu-
nicipij Præmissiensis. Vigesima quarta,
Mensis Septembris, Anno Filij Do-
mini nostri. 1554.

^{mz}
S. ac Serenissi M. V.

Fidelis subditus

STANISLAVS ORZECZOWSKY.
OKSZYC.

ⁱ
STANISLAI ORICHOVI
OKSZI.

ANNALES POLONICI
AB EXCESSV D. SIGIS-
MVNDI PRIMI.

ANNALium ratio hæc est, ne res ge-
stæ memoria dignæ ex hominum vi-
ta abeant neglectæ, vtque actarum rerum
præscriptio acuat posteros, ad idem vel
fugiendum, vel expetendum, vt
futurorum spem augeat, præte-
ritorum confirmatio.

AC fuerunt in Polonia multi, qui ab incu-
nabulis nostræ gentis Polonicæ, maiorū
res, posteris tradiderunt, & eas vsque
ad Sigismundi tempora deduxerunt. Ex
quibus magna exemplorum copia ad vitam degen-
dam, in vtramque partem sumi potest, qui cum
opere defuncti, vel hac cura leuati quiescant, succe-
dendum mihi putauit, ac derelicto ab illis operi suc-
currendum, quamuis non eodem ingenio, quo fu-
erunt illi, fide tamen simili, & voluntate, Ne res in
Polonia eorum studio consecuræ ac memoratu di-
gnæ ma-

gnæ maneat in silentio, ac obliuione ceu nocte iaceant, sepulcræ. Itaque ab eo quo desierant illi, res Polonorum gestas literis seruabimus, & eas non solum posteritatis memoriæ, sed etiam scribentium industriæ trademus, vt habeant à nobis, quod, adhibito maiore orationis sono, exedificent, ac locis, temporibus, consiliis actis atque euentis distinguant ac expoliant, quod nos præstare volumus, sed nescio an potuimus, contenti, certè Materiam rerum memorabilium in vnum conferre, ac comportare, Vnde ij, qui harum rerum deinde volent ædificium construant historiæ. His itaque commentariis statui omnium rerum, quæ SIGISMUNDO. Augusto Rege in Polonia acciderunt breuiter ac fideliter, vti religiosum testem decet, memoriam completi. Quod etiam veteres Romanos factitasse legimus, apud M. Ciceronem, Pontifices maximos res omnes singulorum annorum, mandasse literis, contulisseque, in album ac proposuisse tabulam domi, vt potestas esset, populo cognoscendi, quid quoque anno actum Romæ gestumque fuerat. Hunc ego morem sequar, vt proponam meis Ciuibus res nudas ordine, quas vel ipse vidi, vel cum fierent probè audiui. In quibus proponendis illa prima & summa lex, mihi erit, vt ne quid falsi scribam, deinde ne quid veri prætermittam, nec gratiæ, aut simultati aliquid dem.

QVOD cum sim præfatus. Annus nos excepit

cepit Christi Dei nostri. 1548. quo Sigismundus Rex Cracouiæ mortuus est ipso sacro Paschæ Die, Anno Regni vno & Quadragesimo, Aetatis verò secundo & Octuagesimo. Ac de hoc quidem Rege scripserunt multi non tantum Historico, sed Reutorico etiam more. Erat enim vir ille abundans exemplis, ac omni laude Rex illustris, sed qui, genus quodnam essent Poloni, quibus Rex ille præfuit, pro eo, ac res poscebat, explanarent, haud scio an fuerint vlli. Cum tamèn par esset, eos qui de SIGISMUNDO Rege scripserunt, de Regno quoque illius cuiusnã gentis esset scribere neque pati homines errare, qui dum de Origine Polonorum ambigunt, obscuram esse gentem Polonos putant, Quorum vt tollatur error, operæ pretium videor facturus si Annalium meorum initio docuero, quod genus hominum, aut quibus ab oris venerint Poloni, atque in his regionibus confederunt, in quibus nunc Regnum possident, diues & armis potens.



ORIGO POLONORVM.

Polonos multi ex scythis, nonnulli ex Germanis, pleriq; autem ex Slauis ortos credunt, at scythas Polonos non esse, neque Germanos, refellit Polonorum patria, insitaque vox in qua nulla profus apparent, scythici, atque Germanici sermonis vestigia. Nihil enim gentibus est tam intimum, tamque proprium, quam linguæ vis, atque commercium, quæ tametsi multis modis infici potest euelli tamen funditus è nobis non potest, quin semper stirpem, atque originem suam redoleat, Italos, Gallos, Hispanos, diuersas gentes esse scimus, non finibus tantum, sed etiam moribus, omnique cultu inter se differentes, quorum tamen os, & verba latino fonte oriri, ac in varios ceu riuos deduci palam sentimus, Vnde de primogenâ illorum origine existimari potest. Ad quem modum cum in lingua Polona, neque scythici, neque Germanici generis vestigium vllum insit Polonos neque scythas neque Germanos esse, pro certo proponemus. Slauigitur Poloni sunt, quo nomine, ab amplitudine laudis omnes hæ gentes sunt dictæ, quæ intra Illiricum Macedonia Dalmasi- amq; incolunt. Et quoniam hi populi propter cæ-
teros,

teros, habiti sunt bellicosi, vt potè, qui Philippo, Alexandroq; Ducibus orbem terrarum sub iugū miserant. Adeò Slauos, hoc est fama celebres & gloria plenos, ipsi sese voce patria appellirant, Slaua enim idem Illyrijs est, quod gloria latinis, atq; huic nomini adhæc vsque tēpora genus illud Slauorum, magnificum atque bellicosum respondet. Non alio enim milite Solimanus Turcarum Rex orbem nunc domat, quam Slauonico, qui illi ex Macedonia & Dalmatia cæteroque Illirico comparatur. Ab ijs ergo Slauis orti sunt Poloni, id quod eadē lingua declarat, quam nunc indicem sequimur, quæ Bohemis Polonis, atq; Rutenis, variatis licet modis cum Slauis, hoc est cum Macedonibus Dalmatis, vt cum eiusdē generis reliquis Illyrijs est communis. Quæ docet, omnes has gentes, ex Slauis ortas esse. Eas cum patriæ sedes non caperent, vel propter inopiam soli, vel propter motum belli, qui mortuo Alexādro ingens in Slauis fuit, ex Slauonica gente, ceu ex vna familia profeminatæ sunt, quæ omnes, ad septentrionē profectæ domo, pars in ea loca venerunt, quæ ad Thanaim ac mare glaciale spectāt vbi nunc Moschouia est, pars ad mare Baltheum montemq; Carpatum, Istulamque flumen, Duce Lecho confedit, Quæ quondam Lechia vulgari more, nunc verò Polonia dicta, non à Pole, hoc est planicie, quemadmodum quidam nugantur, sed ab eo quod quoniam

niam durius fuerat prolatu, pro Polachia Polonia commodiore nomine est appellata. Denique Slauorum pars Cechum Lechi fratrem secuta Ducem, Morauiam atque omnem Bohemiam possedit. eodem casu Ruteni, quos Roxolanos rerum scriptores appellant, à Slauis profecti, amplissimas in Sarmatia Europæa regiones tenuerunt.

Atqui non solum index lingua ortum nobis prodit nostrum, verum etiam Alexandri Macedonis Priuilegium Annalibus Boemorum vetustis posteritari traditum, quo sanè Priuilegio attribuntur, ab Alexandro fidei ac victoriæ ergo maioribus nostris, omnes hæc Regiones quas nunc cum Bohemis partitis Prouincijs obtinemus. Et quoniam ex his quæ demonstrauimus, constat, maiorem ex Slauis Cecho ac Lecho Roxolanoq; Ducibus in has oras venisse: Fateamur Cechum atq; Lechum Roxolanumq; Alexandro Rege fortes ac præclaros Duces in re militari fuisse, atq; has nationes in Sarmatia Europæa reliquisse, quibus Macedonia atq; Dalmatia certissima, verissimaq; patria est. Qui Duces quod egregia virtute erant cogniti posteris, non tantum regionem, sed etiam nomen Sarmatarum dederunt, vt non solum Poloni ac Roxolani à Lecho, Roxolanoq; sed etiam Sarmatæ à deuicta ab illis scyrica gente appellarentur. pariratione Cechi Regiones subactas, tam imperio, quàm nomine possederunt.

Quam-

Quamobrem imperium Sigismundi, atque illius regnum (nam de hoc agimus) amplissimum latissimumque fuit, tanta sanè magnitudine, vt nullius regnum Christianorum cum hoc finibus conferri queat, quod Bornstene amne Hypane atque Tyra fluminibus, monteque Carpato ac Odera flumine terminatur, vt Bornsthenes ad septentrionem, Tyras & Hypanis ad orientem, Mons Carpatus ad meridiem, Odera verò ad solis occasum Regni Poloniæ sint fines. quod constat ex Polonis Lituani Ruthenis ac Prutenis. Adhuc ergo modum Slauonicam gentem in septentrione propagatam esse propalam est, Poloniam verò non solum ex Slauis ortam, sed etiam Slauorum præstantissimam ac florem totius Slauoniæ esse, in qua vis Macedonum, ac virtus Dalmatarum palam cernitur. Quod quam verè scribam, res gestæ huius inuicti populi declarant. Hæc igitur sunt in nubula gentis Polonicæ, vt Poloni, ad Slauonicum hoc est ad Macedonicum atq; Dalmaticum gloriosum referantur genus.

Sed hoc non est satis, neq; enim Poloni ortus sui autores supremos ponunt Slauos esse, habent enim & illi superius ad quod pertineant genus, ac parentes & ipsi agnoscunt suos, ad quos eadem lingua, quæ nobis indicio nunc est, Slauos quoque deducit. Nam cum vel in ipsius Christi Dei nostri titulo, quem is præserulit, in Cruce, trium linguarum

8 **ANNALES**

linguarum genus proponatur Hæbraicum, Græcū & Latinum, quod hæ linguæ tres in summa õnes linguas contineant, quibus Christus Rex omnium gentium, mirificè renunciatur, rectè queri videtur, Slauorum lingua cui nam ex his tribus linguis subiungatur. Vt hac via verum ac supremum genus reperiant Poloni omnes adsentiantur, qui Græcè norunt Slauos, inprimis autem Polonos appello, verba Græca, verbis Polonis comparata proferre, sed non fracta, nec mutila, ac diminuta, neq; hyãtia quasi dextra sono, atque more currentia. His profecto obscuris licet, certis tamen vestigijs, Græcam linguam in Polona deprehendent, vt inde facilis fiat existimatio Polonos esse natione Slauos, gente verò Grecos. Iam ingenium mores atque omnẽ vitæ cultum in Polonis, quo cum facilius compares, quàm cum Græcis, idem enim est naturale vtriusq; stirpis bonum, eadem solercia, idem acumen, par humanitas, ac consimilis interdum cum leuitate morum coniuncta facilitas, tum verò comestationes, atq; ille mos certandi poculis ac bona inter potandum precandi, in Græcia natus, atque inde in Poloniã à Slauis est importatus. Quæ res apertè docent, Greciam Slauis, & Polonis ab illis profectis, Patriam esse non scythiam neque Germaniam, vt falso quidam existimarunt, Nam scythæ ad Arabes pertinent, qui originem suam ad Ismaelẽ referunt autorem, Germani quoque in quorum lingua

ORICHOVI.

9

lingua leuiter licet, vt in corrupto solet, sermo tamen recinit latinus, vt linguam ita genus cum Polonis non habent communẽ. Scythas ergo ad Hæbreos, Germanos verò relegemus ad Latinos, ipsa nostra damus Græcis, quorum vt ferinus vitia, ita virtutes quoq; imitemur, vt Græcorum artibus eruditi virtutibus vitia compensemus, & ad prudentiam rerum fortitudinisq; laudem, quibus præstat genus nostrum temperantiam, grauitatem, consiliumq; addamus, vt ex Attenis doctrinam, atq; Eloquentiam, ex Sparta verò grauitatem atq; constantiam deportasse in Poloniam videamur, atque hunc in modum parentes suos reperit Polonia, in qua cum longo tempore Sigismundus regnasset, Regnum decedens tradidit, Sigismundo Augusto filio, qui tum agebat, annum octauum & vigesimum, qui tametsi puer Rex designatus esset, nullam tamẽ partem Regni viuo patre attigit, quò mortuo Regnum accepit, quod illi vt patrium ita auitum fuit, Et quoniam res maximè memorabiles, quæ hoc Rege mox quàm Regnum iniret, in Polonia acciderunt, scripturus sum, admonet me res ipsa, vt pauca de summa illius vitæ decerpam, & ea præsertim, quæ hisce Annalibus adferent intelligentiæ lumen.

SIGISMVNDVS Augustus, Natus fuit Bona Sphortia, Bari Duce, Sigismundo Patri, Kaleñd. Augusti, Anno Christi Dei nostri, Millesimo, Quinginta

Quingentesimo Vigesimo, a quo etiam mense parentum omine nomen traxit, Erat hic diligentia matris à puero doctus, & doctrina puerili eruditus habuitque exquisitum ex Sicilia Andream magistrum, qui us artibus illum erudiuit, quas illa capit ætas, sed impeditum tempus ingenij formandi Augusto fuit, Mater enim hunc puerum habuit indulgenter, nec facile patiebatur illum à suo latere, etiam cum esset grandior discedere, quæ ex re ille habebat non paruam vulgo inuidiam, quod cum magnam spem Regni in illo homines collocassent, ac iam tum primo Dux Lituaniæ, de inde Rex Poloniæ designatus esset, diutius tamen mulierum contubernijs adhæresceret, Quæ de re, & in Comitijs per Senatores, & in expeditione contra Dacos, apud Leopolim per Equites Polonos cum Sigismundo patre expostulatum fuit, perfici tamen non potuit, ut is de cura matris, ante decem & septem annos exiret, tum enim demum segregatus à matre, vixit in cura hominis prudentis, & nobilis Petri Opalenski Gnesneñ. Castellani, Quo magistro ille usus in cognoscenda R. P. ac in perspicendis hominum moribus, summam spem de se & Patri & Regno dabat, Et cum ætate speque procederet, Lituaniæ Senatores agente & procurante Nicolao Radziuilo, summo studio contenderunt, quo illi pater Lituaniam traderet, summa rei penes serelicta. Igitur SIGISMUNDVS Augustus

gustus Lituania à Patre accepta & Elisabetha filia Ferdinandi Romani Regis vxore ducta, castè integreque vixit, ac cum magna iustitiæ laude Lituaniam administravit, sed ut sunt res hominum fluxæ & caduæ Elisabetha Vilnæ moritur, summo cum dolore ac mærore omnium. Nullius enim Regis in Polonia matrimonium fuit, neque genere ipso gloriosus, neque pecunia copiosus, neque beneuolentia hominum iucundius, quam hoc erat cum Elisabetha Sigismundi Augusti Regis, virgo ipsa vultu venustissima, moribus honestissima, Carolo autem Cæsare patruo & Ferdinando Rege Patre gloriosissima fuit. Et cum summa gratia illa esset, apud omnes, apud focum tamen, quod illæ natura oderunt nurus, minimè, uti ferebatur, gratiosa fuit, Itaque Elisabetha Vilnæ, cum Rex apud patrem Crac. esset, mortua est, & à Rege Vilnam abeunte amplissimo cum funere elata, regaliter est sepulta.

Verumenimverò Rex matrimonio solutus ac liber, ut sunt adolescentum multi varique casus, vitare non potuit, quin in illa vitia, quæ fert adolescentia præceps rueret: Cum enim pater in Polonia abesset, & illi in Lituania liberius viuendi fuisset potestas, facile in summo loco & ocio, adolescentia persuasit, ut amori indulgeret, qui tum illi primus offerebatur Vilnæ, Erat in Lituania summo loco mulier in Radziuilonum antiquissima familia, ex Gregorio Castell. Vilneñ; nata Barbara

nomine forma atq; vultu adeò venusta, vt ex inuidia formæ, pudicitia fama laboraret. Hæc cum Stanislao Gastoldo Trocensi Palatino primo nupta fuit, quo breui tempore mortuo, mansit aliquandiu florens & illustris vidua. In qua cum summa esset omnia & genus & ætas, & forma, & fortuna, tum morum comitas, atq; facilitas, multos procos habebat, cupientes sui, quos illa dedignata maritos non facile reperiebat, cui nam nuptum à matre patri superstiti dari vellet.

Rex interea iuuenis, & ipse forma & ætate præcellens cum Barbaram Vilnæ manere, ac omnium sermonibus celebrari audiret, primo fama impulsus, deinde aspectu commotus, amare hæc cepit, ac enixè cupere, sed cum mulier pudica suspitionibus, famam suam lædi nollet, celsit amori Rex, victusque manus dedit, ac clam patre vxorem hanc duxit. Quod Regis factum celatū primo est, ac benè dissimulatum, quoad pater viueret, vt tenui suspitione factum id, homines colligerent, priusquam rem apertè noscerent, Patre verò mortuo Rex Barbaram publicè vxorem declarat, ac illā Vilnæ in Regium thalamum propalā intro duxit, sociamque thori facit. Quæ res illi vituperationi fuit, quod priuata libidine non publica autoritate vxores à Regibus duci, vulgo homines non probabant. Erant tamen plerique æquiores Regi, qui Samsonis Dauidis ac Salamonis exem-

plis,

plis, factum excusabant Regis, quos mulieres perdomuissent ac sub iugum mitissent.

Sed hoc loco, quasi in cursu in hibeo sty- lum, neque vltius vitam huius Regis persequar, quod quidem mihi multorum scriptorum exemplo, quos autores habeo, licet facere qui de viuis Principibus aut non scripserunt, aut quam parcissime de illis scripserunt, ne vel turpiter adularentur, vel grauitè illis aduersarentur, Qui potestate, & rerum successu sublati, ampliores etiam humano fastigio, à scriptoribus affectarent honores: qualis in Calistine Alexander Macedo fuit. Quare vt ea moderatione, vt quæ bona, quæuè mala in hoc Rege fuerint, alijs post me memoranda relinquam. Illud tamen non prætereundum viderur. Vnde de omni illius vita existimandi copia scriptoribus detur, Me duas in hoc Rege virtutes vulgo laudari, & duo iridem vitia repræhendi animaduertisse: Virtutes enim illæ duæ diuinæ & egregiæ in hoc Rege ferebantur esse Primo, Pacientia incredibilis, Deinde Clementia, ita facilis, vt & contumelias, & iniurias obrectatorum, ac si Rex non esset, pateretur ac ferret, & eos, quos pro potestate vlcisci læsus posset, beneficijs afficeret, sed illa etiam duo ex contrario opponebantur his virtutibus vitia, quorum vnum fuit, perpetua in eadem sententia perman-

B 2

no.

no. Alterum verò priuati consilij quam publici maior ratio, ad summū tamē, bono ac miti ingenio, hic Rex p̄ditus, patri successit. Quod si ille diutiùs regnauerit cōsilioq; & grauitate, nō assētorū opinionibus, quibus abūdāt Regū opes, sed Senatorū prudentia Regnū administrauerit facile paternā ac auitam gloriam consequetur, præsertim cum aras quotidie demat aliquid natiuo de vitio, & vxor **Catherina** Ferdinandi altera filia, ad mentem pudicam libidinem, pestem adolescentum, vetet accedere. Qua de vxore suus nobis ad scribendum seruat^{us} est locus, quem nos ab hoc loco rectè segregasse, & in alium locum ordine contulisse, vbi ad illius nuptias veneris, cognosces. Hæc nos ambitione vacui de viuo Sigismundo Augusto Rege, in multa solitudine ira scribimus, vt nemini nos venditemus, ostentemus nemini, soli autem posteritati seruiamus scribent credo alij de mortuo, ac illius reliquū vitæ, quæ illi in cursu acciderint humanitus absoluent, nos propositum teneamus.

Sic ergo vita Regis cum esset, ex Lituania accersitur à matre, & à Senatu ad curandum funus patri, **Cracouiam** igitur venit circiter Calend. Mai, vestitus veste lugubri, Cui ciuitas in summo publico luctu cum senatu obuiam progressa, ante urbem illum consalutarunt Regem, ac in arcem precibus atque votis ascendentem prosequuti, ad corpus paternum deduxerunt, quod iacebat in atrio,

atrio, strata veste squallida, quo in loco **Bona** mater cum filiabus tribus, ac cum matronarum nobilium turba aduentantem Regem expectabat, **Atrium** Rex ingressus, quod **Cereis** multis atque luminibus collucebat, Exceptus est à matre & à fororibus, muliebri eiulatu. Quarum orbitas mire miserabilis fuit, propter recentem memoriā patris, tum etiam quod alterum viuum adesse, alterum verò mortuum iacere coram videbant Regem qui lux & desiderium suis erat. Quare deshebant **Sigismundi** mortem congressi vxor & liberi, ac illi etiam qui aderant, vna flebant, cum viderent Bonam florētem, quondam gloria mariti **Reginam**, stare viduam ante filium relictam, sorores etiam tres nobiles patre orbas, ad pedes fratris iacere, fordidas. Postremo Regem iuuenem, ac iam tum ardentem inuidia matrimonij, Clariss: Patri ac summo Regi succedere, Itaque cum mæror & matri & liberis eripisset vocem, **Samuel Maćciowski** Crac: Episc: ac Regni Cancellarius oratione lugubri, & vt in dolore perturbata matris ac fororum nomine aduentum Regi gratulatur, & illi solitudinem matris, ac fororum orbitatem commendat, Ad quam nimium flebilem orationem respondit pro Rege **Nicolaus Grabia** procancellarius post digressi, quod iam aduesperasceret, mæsti illo die requierunt, quisq; apud se domi.

Diebus autē interpositis paucis Rex Appellatis

latis, de R. P. Patribus, diem dicit funeri, ac ad Diui Iacobi ferias Carolum Cæsarem Ferdinandum item Regem, ac finitimos regulos, ad ius exequiarum Cracouiam vocat, Interea autem, dum apparatus funus, incendium vesperi, in ea platea est coortū, quæ subiecta est arci, quæ cum Aegidij arsit æde magno cum arcis periculo, eius autem arri imprimis, in quo neniæ de more mortuo Regi canebantur, quod plurimum igni imminēbat, vt Rex cum stipatoribus raptum patrem inde efferrent, quem post restincto incendio eo retulit, vnde illum sumserat, Instante funeris die, adest Senatus, & à Cæsare, Ferdinandoque Rege Legati missi veniunt. Dux item Prussiae ac Albertus Brandeburgensis Marchio, qui sororem vnā è tribus, à Rege petiturus dicebatur. Denique concurrunt, vndique omnium ordinum homines, atq; ætatum, completur Vrbs sacerdotibus, cuiusque generis, nefas se admittere si non prodiret, sordidatus quisque putabat. Ad vesperam funeris indicti elatus est Sigismundus amplissimo funere, incensæ præibant faces, quas magno numero mendici ferebant vestiti veste lugubri, Senatores circum funus ibant squallidi, honoris Regij insignia præferentes, sequebatur mæstus filius inter Cæsaris & Ferdinandi Legatos, Posthunc vxor, quam

quam dextra Dux Prussiae sinistra Marchio deducebant, Hos sequebantur filiae, tum matronarum cætus, post vexilla, de quibus rebus omnibus Martinus Wolski integra fide in historia Polonica perscripsit, In ædem Stanislai vbi est ventum solenni ritu, corpus in conditorio à Rege, & à Senatu perfunem dimissum, in penetrali est positum, quod ipse sibi Sigismundus fecerat, ac Mausæolum illud extruxerat opere Magnifico.

Postero die magna Pompa funeris itum est ad ædes omnium Sanctorum, Francisci, Stephani, Mariæ, ac Trinitatis, sacras, vbi pro defuncto Rege sacrificium publicum fiebat, quod Rex & cæteri muneribus de more erant subsecuti. Hoc loco prætereundum non est, quod ioculariter admissum offendit Sacrorum præsides, cum enim Albertus Prussiae Dux in æde Francisci offerret, & ipse munera pro auunculo Rege, non quod illi prodesse putaret mortuo, alienus enim hic vir ab ea religione fuit, sed vt se Regi filio offerenti daret, Ioannes Oczieski homo falsus & perurbanus Ducem ludibundus adit, ac monet etiam atque etiam Dux videret, quid ageret, Nam Monachos pecuniam à Duce oblatam, signare, & consignatam Romam ad Papam velle mittere, quod illi probent Prussiae Ducem in Purgatorium

purgatorium hoc funere fuisse liberalem, Id Dux pro vero accepit, quod ludo dicebatur ac respondet, se non commissurū amplius, vt Prusisæ Duces pecunia videatur iuuare purgatoriū, abstiniq; nec adduci potuit, vt deinceps, quidquam offerret. Perendie autem in arce Stanislai sacrificante Nicolao Dirgouio Gnesneñ: Archiep. Samuel Maćieiouius, Episcopus orationē habuit in qua & ciuilia & bellica Sigismundi Regis studia summatim exposuit, genus item atq; mores non sine graui ipsius contionis motu, Qua in re illud tamen fuit molestum, quod Polonicè Samuel verba fecit, quasi ea oratio ad solos Polonos, nec etiā ad alienos qui aderant pertineret, sed Samueli ita tum fuerat visum, vt Polonum Regem apud Polonos sermone laudaret Polono. Non deerāt tamen, qui funebres laudationes Sigismundo latine scriberent vt Martinus Cromerus Becen, & Stanislaus Orichouius Okszyus, qui etiam Apologiam pro illius exequijs scripserat,

REX, iustis patri solutis, die Mercurij Legatis ac Regulis, ceterisq; Principibus epulum largissimum præbuit, qua in epulo carnes tum primū in Regia mensa, illo die sunt visæ, quod ante in Polonia acciderat, nunquam, offenderat ea res multos, quod Poloni patrio more quarta feria (vt vocant) carnibus non vescantur, quod ea die Christum pro peccatis nostris à Iuda venditum fuisse,

Iudæis

Iudæis recordantur. Quod factum excusauit Rex conuiuuarum Germanorum respectu, apud quos, vt dies ita cibi essent pares, neq; quicquam apud Germanos inter piscem atq; feram die Mercurij interesset, Quibus tamen ita morem gereret, vt ijs etiam qui religione eius diei, tenerentur pisces apponeret, vt quisq; ederet vnde vellet, Ad hūc modum obrectatoribus Epuli satis faciebat Rex.

Actum deinde est de Regis sororibus collocandis quarum petebant, alteram Dux Prusisæ, alteram vero Brandeburgensis Marchio. Qua de re in Senatu non idem omnes censebant, Quidam enim rectè illas dari quod & proci essent clarissimi viri, & affinitas illorum futura esset decori Regno, cui sententiæ ab Episcopis vehementer fuit reclamatum, quod non rectè dari filias Regias desertoribus Romanæ fidei contendebant, quare redirent in fidem Romanam illi prius, deinde virgines, si illis videretur, in matrimonium peterent. Hæc sententia vicit, quod eo accedebant, pacta quædam atq; conuenta Sigismundi Regis, in quibus hoc quoq; erat præscriptum, ne Sigismundus Pater neuè filius virgines Regias, nuptum alicui daret, in consulto Carolo Cæsare.

Absoluto funere, legati & cæteri Principes, à Rege liberaliter dimissi Cracouia discesserunt, nec multo post, Albertus Prusisæ Dux uxorem duxit Brunsvicen: Ducis filiā quæ cum ex Saxonia

B 5

nia

nia in Prussiam ad illum ornatissime Comitatu duceretur, excepta fuit honorifice Posnania: ab Andraea Gorkono Comite, Posnaniensi: Castellano, ac maioris Poloniae Praefecto, triduumque magnifice ab illo habita, ad virum est profecta, Bona etiam Regina mox a funere viri Crac: descendens Varfauiam cum filiabus in Masouia prope- ravit, ut eam prouinciam, quam dotalem illi vir fecerat, primo quoque tempore inditionem suam acciperet, Cum enim aegererent Poloni, tantam Prouinciam dotalem Bonae permitti, de illius dote alio transferenda saepe egerunt, cum Sigismundo Rege, quod verebantur ne quo casu Masouia a Polonia seperaretur, si dotalis Bonae tota esset. Quare Bona Regina Rege sepulto multum interesse arbitrata, quamprimum Masouia potiri, quod saepe in commutatione regnorum paruis momentis, magni casus intercederent, non distulit tempus, sed euestigio cum filiabus tribus Varfauiam proficisci maturauit, ne quid mora posset illius obstare dote. Ita Poloni, quod incolumi Sigismundo acerrime negarant Bonae, id illo mortuo non grauatim illi concesserunt, tanta apud Polonos valuit, vel memoria Regis mortui in quo aegro curando singulari Bona fuerat officio atque fide, vel prudentia ipsius Reginae qua in tractandis optimatibus Polonis summa semper fuerat vsa, ut id post concederetur viduae, quod prius petere viro obsti-

obstinatius illi fuerat negatum, Interim Rex ipse Crac. mansit, vbi de constituenda R. P., quae agitari videbatur rationes inibat. Et quoniam in Polonia nihil a Rege absque Senatu & absque equestri ordine de R. P. agi potest, Ideo Conuentum Regni Rex Petricouiae indicit, ad Lucae serias, Et quamuis dictum diem & Rex & caeteri Ordines Regni obirent, tamen extrahebatur tempus, ad Calend. Ianu. Anni sequentis quo anno de R. P. magno rerum & animorum motu est actum,



ANNALIS SECVN-
DVS.

Comitia habente Sigismundo Augusto Rege Legati & Senatus frequens Petricouiam ad e-
dictum veniunt. Cum autem hoc esset in more po-
situm, vt noui Reges publice salutarentur, data e-
rat Ioanni Sirakowski Siradien: municipij Lega-
to, causa Regem salutandi, qui in Corona Lega-
torum, apud Regem orationem habuit. cuius mē-
tem ponam, nam ob prolixitatem ad verbum illā
ponere consilium non erat. Sigismundum Augu-
stum suffragio non extorto, sed libero à Polonis
ideo creatum esse Regem, quod Iagellana familia
summam semper habuerit iusticiæ & bellicæ lau-
dis opinionem, quam secuti Poloni cum & fami-
liam & hominem probassent, eum quoque præter
cæteros defuncto Sigismundo patre apud se regna-
re voluerunt, vt ad eius arbitrium iudiciumque
summa omnium rerum consiliorumq; potissimū in
Polonia rediret, qui ab illis viris fortibus & sapi-
entibus Regibus in eadem familia procreatus esset.
Proinde illius officij rem esse prouidere ne spe sua
laberentur Poloni, quod facile præstaret, si illis
quam simillimuse esset, à quibus ortū duceret. Me-
mor ergo esset, & quibus succederet, & quale Re-
gnum à maioribus traditum acciperet quam diues
opibus,

opibus, & quam viris armis ac victorijs potens.
Neque vero alia re in tantam magnitudinem Polo-
niam venisse crederet, nisi quod in ea Reges nun-
quam plus legibus possent. Quorum eiusmodi sē-
per fuissent imperia, vt non minus ipsi parerent le-
gibus, quam hominibus imperarent. Hac animi
æquitate Regnum in Polonos antiquitus tenuisse,
cum priscos illos Reges, quorū meminit vetustas,
tum hos Iagellonos recentes, qui omnes exempla
prodidisset benè & sapiēter administrandi Regni.
Horum vestigijs insisteret Rex, si in Polonia prin-
cipis viri personam sustinere; neque quidquā, quod
ipso aut Regno esset indignum, vellet committere,
Cohortatus etiam Regem est, vt memor esset, il-
lum nō cuiusuis, sed Polonicæ gentis Regem esse,
cuius cum incomparabilis esset libertas. ei rei præci-
puè studeret, in idque potissimum incumberet,
quo Polonis libertatem bello & pace præstaret. Ad
quam rem adiumenta demonstrauit illi quam plu-
rima, docuit enim qua sapientia Senatū, qua præ-
stantia equestrem Ordinem, & quanta copia præ-
ditum Regnum hodierno die à Polonis acciperet.
Postremo quæ Regum Poloniæ opes, & quæ illo-
rum essent vires ostendit, quæ non pecunijs, neque
alijs eiusmodi incertis fortunæ bonis continerentur
sed illis ingentibus inuictisq; opibus, fide nempe
& benevolentia suorum, quibus duobus subsidias
facti Poloniæ Reges nihil sibi vnquā arduū, neq;
inuictum

inuictum putabāt & vt in pauca orationem illam conferam eo spectabat tota, quo Rex nouus sciret. Ministrum communis libertatis in Polonia se esse, non dominum, regnaretq; legis præscripto, non libidinis arbitrio, quæ ne plus in Polonia lege posset cum omnia alia oratione, rum iureiurando, ac fide Regum Polonis, sancitum & cautum esse. In hanc sententiam vir ille perorauit, cui Rex per Samuellem Macieouium Episcopum & Cancellarium respondit, se nulla in re defuturum, maiorum moribus atq; exemplis, daturumq; se operam, vt in omni suo munere Regio iustitia illius, pietas ac erga Rempub. fides ita appareat vt neminem merito sui pœnitere oporteret. hæc à Samuele vt ab homine docto pro Rege dicebantur amplissimè, Salutato in hunc modum Rege, cum ille de Repub. referret ac quo nam modo consultum Reip. in præsentia vellet, per eundem Cancellarium pronunciaret! Legati negarunt prius referri vlla de re oportere, quam de omni statu Regio esset relatum, de quo cum Rex decessisset, ante omnia providendum esse ne ea res detrimento Regni foret. Itaq; grauis illa & vehemens à legatis introducta fuerat de vxore quaestio, oporteret ne eius mulieris matrimonium ratum haberi, quam Rex inconsulto Senatu ac clam Regno duxisset, Neq; enim ferendum esse sine autoritate Senatus vxores à Regibus duci, periculosum esse affines & propinquos Poloniam habere, non quos ipsa vellet, sed quos

Regū

Regum nuptijs habere cogeretur. In hanc sententiã cōmemorabatur exempla, quibus docebatur, Regū nuptias priuata libidine susceptas perniciosas Regno sæpè fuisse, nec expeditiorē viã, aut exitium haberi, quam Regū cōnubia, si absq; autoritate illi, aut cum inimicis, aut cum regnãdi cupidis, aut cum indignis hominibus coniunctionē & affinitates inirent. Quare summo studio agebāt, Legati vt illud matrimoniū comitijs irritū esset, q; & vxor par non esset Regi & nihil emolumēti secū adferret. Opus autē esset Polonis tali connubio, quod illos indiscrimine, & opibus iuaret, & adfinitatibus nouis ornaret, quorū nihil in illo matrimonio inesset. quod mulier, sūmo licet in Litūã: nata loco, & magnæ cognationis, subiecta tamen Regi parem Maiestatis Regiæ affinitatem non adferret.

Acta hæc res sæpius Legatorū nomine à pluribus apud Regē est, cum tanto rerū verborūq; motu, vt perorante Petro Boratyński Equite Ruteno Legati ad pedes Regis sese abijcerent ac fidem illius implorarēt illūq; per Maiestatem Regiã ac per salutē Regni orarēt obtestarētq; quo hæc vxorem dimitteret, & de alia sibi pari cogiraret. Cōmotus supplici orōnē Rex erat ita, vt & assurgeret, & aperto capite diē se sumpturū ad deliberādū respōderet. Quod ille tū fecisse dicitur nō q; illi certū, q; vel statim respōderet nō esset: sed cū tā submisit sibi supplicatū videret, vt Legati q; post hominū memoriã in Polonia visū nō est ad pedes illi iacerēt, cogitādū

sibi

sibi etiam atq; etiam putabat, quoniam modo tam supplicibus suis posset satisfacere. Itaq; re deliberata cum ijs, quibus communicare de maximis rebus consueuerat, ea illi sententia potior est visa quam fidem uxori seruare. Quare die constituta causæ dictionis, Senatus & legati in Curiam veniunt, summa expectatio erat omnium Ecquid nã ad illas summas legatorũ præces responsurus esset Rex, qui non per interpretem, vt Regibus mos est, sed ipse, Non sibi vitam chariorem esse quam Rēpu: respondit. Sed cū vobis Respub. fide (inquit) mea stet salua, quoniam modo ea fides firma nobis erit, si uxori iussu vestro fidẽ fregero? Nō est quod me vobis fidelem speretis fore Regem, Si vir uxori fuero infidelis. Quare, vt fidem iureiurando firmam à me vobis præstari vultis, ita non debetis velle vt eius fidei Sacramentum, quod uxori DEo teste dixi, vi fraudeuẽ violem, præsertim cū à Domino Iesu palàm dicatur, ac ita scriptum legatur, tum aperto recitauit illud, ex libro: Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum faciat? Quapropter cum legitimum mihi sit cum uxore connubium, vitam prius quam uxorem deseram Si quid autem in eo peccati, quòd sine consilio vestro uxorem hanc duxi, id sane fide in me vestra corrigi, ac ne fiat in posterum poterit prouideri. Nunc vero id agamus cuius causa huc conuenimus, hac autem de matrimonio

nio disputationes missas faciamus, nam ego res omnes uxori post putavi quam retinebo, quoad non solum hæc vestis qua amictus sum, sed etiam ipsa superfuerit vita.

GRAUIS hæc Regis oratio fuit Senatui, Legatis etiam acerba, vt desperatione pleni omnes ex Curia discederent, Senatus certè, auctoritatem negligi querebatur, quod Rex ipse sibi Dux & autor veller esse, cogitur ergo identidem ea de re Senatus, ad sunt Legati, dicuntur sententiæ graues, sit ex postulatio Princepsq; Nicolaus Dzirgouus Gnesnensis Archiepiscopus sententiam rogatus dixit, Non sibi responsum Regis dignum libero Regno videri, quod in Polonia exemplum proderet ad immitandum perniciosum, quo Reges priuato consilio res quas vellent suscipere, vt eas pro potestate defederent, censuit ergo dimittendam esse mulierem illam, quæ quod clam Regno, fide priuata duceretur vxor Regi non esset, Quod si quid peccati in dimittenda illa muliere contraheretur Regi, illud se diuisurum vt viritim peccati Regij partem, quisq; in Polonia pro salute cõmuni ferat.

Hanc sententiam Ioannes Dziaduski Præmissien, Episcopus solus ex Episcopis secutus est, qui illud matrimonium in arcano secretoq; contractum clandestinum, etiam per summam contumeliam appellare non dubitauit, ideoq; irritum esse

cenfuit, quod illi ius tam diuinum quam humanum aduerfaretur. Deniq; etiam fi fides illa rata efferet Regi tamen frangendam effer Regni caufa vel Euripide Poeta teffe, cuius hos ille de Phceniffis verfus recitauit. Nam fi violandum effer ius regnandi gratia violandum effer. Incæteris pietatem colas. His verfibus vir ille fuaдебat diuortium quæ fententia quamuis Etheoclis immanis Tyranni fuiffe dicatur: tamen ab illo Epifcopo, quia populariter dicebatur, cum vulgi laude vfurpabatur, quafi vero vilius rei caufa ius violare Regibus aliquando fit fas, aut idē omnino liceat Polono ac Chriftiano Regi, quod licuit homini impio & Tyrano Etheocli Sed habent hæc populares motus vt falſas & impias fententias in turba, modo ſint turbulentæ, facile pro veris ac pijs amplectantur. In horum Epifcoporum ſententiam iuerat maxima pars SENatus quorum Principes fuere PETrus Kmitha Cracouiensis Ioānes Tenczyński Sandomierieñ. Martinus Zborowski Califfieñ, Nicolaus de Brudzouo Lancicieñ, Raphael Lesczyński Brzeſteñ. Palatini, tum Andreas Gorkanus Poſnanieñ. Caſtellanus & maioris Poloniae Praefectus. Nam hi præter cæteros rem ad diuortii deducere ſtudebant, tanta contentione animorū atq; rerum, vt Ioannes Tenczyński oprabilius ſibi videri diceret, Solimanum Turcam Cracouiæ potiri, quā hanc Reginā in Polonia haberi, Fuit ſanē vir ille

vir ille ſapiens, & magnæ autoritatis ſed quā ſapienter dictum hoc ab illo fuerit, ſine ſententia mea æquē in medio exiſtimantibus pono.

Ex Contraria parte Samuel Maczieiouiſ Cracouiēñ. Epifco: ſuo loco dixit, Non ſibi quidē factum Regis probari ſed tamen non conſtare, quomodo illud poſſit mutari præfertim approbante Rege factum, ac matrimonium ſibi legitimum effer cum vxore palām affirmante ſcio (inquit) Samuel me omnia Reipub. caufa debere: ſed tamen DEo plus debeo, cuius de Sacramento nunc agitur, ſi enim matrimonio Reſpub. leditur, prouidendum cenſeo, ne illo irrito amplius à nobis ledatur Deus, qui matrimonia Regum cū matrimonijs priuatorum pari honore æquauit, ac ita Regibus illa vt priuatis rata effer voluit, Quappter nefas ego hoc Regi ſuadere nolo, vt hanc legitimā vxorē abijciat, cui fidē coram Deo ſe dediſſe conſitetur. Epifcopum ego me effer memini cui non licet peccata Regū viritim diuidere, quæ nunquā à Regibus admitterentur ſine exitio publico Deniq; cū in hoc conſilio nos Epifcopi, ideo ſedeamus vt Religionē in Polonia deſſendamus autores effer, neq; Regi neq; priuato cuiquā debemus vt Sacramento rū Religio in Pōlā ad nutū popularē violetur. Quare feramus id q; mutari iā nō potefit, erratūq; Regis quod repræhendimus corrigamus, quātum poſſumus vniuerſi, Neq; illud iam tāti putemus vt iam de ſalute

salute Regni actum esse arbitremur, Ego autor Regi vt hanc duceret, non fui, sed quoniam duxit viuat cum illa quandoquidem est illi complacita, modo ius æqualiter dicat, ac Regnū fortiter defendat. mihi sane cum hac Regina, sat bonus is Rex erit. Itaq; non multo secus faciendum censeo, cū de hoc facto Regis disputo, ac censerem si esset mihi de pede nuper luxato dicendum, dicerem enim me autorem Regi non fuisse, vt is equi causa luxaret pedem, Sed quoniam id iam accidit, curandum esse Regis pedem non præcidendum censerem, Similiter nunc de vxore loquar Regis, non dissoluedum esse matrimonium semel inicum, id enim verat religio & Sacramentorum ius, sed moderandum illi à nobis esse. quod qua ratione confici possit, dicam cum de ea re rogatus fuero. Hanc sententiā ex Principibus fuerūt secuti Andreas Zebrzydowski Cuiaviae: Ioannes Drohoiowski Chelmenfis ac Leonardus Camenecē Epī: Tum Ioannes Tarnouius Cracoū, Castellan, Vir primæ post Episcopos in Polonia sententiæ. Cum autem neque Rex vxorem dimmitteret, neque maiori parti Senatus ea de re pareret, postulauerūt à Rege Legati, quod illis arcanè cum Senatoribus colloqui semoto Rege liceret, REX primo recusare quod causa non esset cur colloquio abesset, Deinde exoratus, Senatū Secreto legatis dedit, in quo deplorarunt casum atq; orbitatem Reip. quod illi consiliū

liū Senatus & autoritas ita deesset vt Rex de omni statu Regio, ipse per se quæ vellent statueret, ac si ille vel homo priuatus, vel Rex solutus in Polonia esset. Cui quoniam ab initio non obstarent Patres conscripti facere illos contra fidem datam Regno & contra id iusiurandum, quo illorum quisq; arctissimo vinculo obligaretur Reipub. dicebantur hæc à Ioanne Sirakowski cuius supra mentionem fecimus, tanta orationis libertate. vt Senatores in illo consensu sibi non videri diceret, quorum autoritates apud Regem nihil valerent. Polonos non vni homini, neq; soli Regi Rempub. commississe sed Senatorum etiam fidei, qui cum sint socij & ad ministri Reip: gerendæ, indignum videri à Rege quidquā publice absq; Senatu geri. Proinde docerēt Patres conscripti Legatos, quonā abisset illa Senatoria autoritas aut si adhuc salua maneret, cur illa pro salute Reipub. tanto in discrimine Reipub. non vterentur, quo Rex nouus posset à Principio discere Regem in Polonia, tubiectum legibus & autoritate ordinum esse debere. SENatus legatis satisfecit, nunquam neq; consilium suum Reipub. neq; fidem defuisse, Quod autem de vxore Rex obstinate in sententia maneret, id culpa fieri ipsius Regis cui extorqueri vxor non posset. Et quoniam omni conatu tentarint Regem, nihilq; sibi reliquū fecerint, præter supplicium præces illis se adhuc vsurum Senatus dixit, Itaq;

post multas & irritas actiones, atq; præces datur causa Andreas Gorkano Posnaniens. Castellano Regem nomine Senatus orandi, quo ipse sibi matrimonium illud volens ac lubens abrogaret, ac de alio cogitaret, Qui paucis interpositis diebus, magna omnium ordinum frequentia orationem habuit ad Regem illa audientia dignam, precatus enim primo Deum optimum maximum est ut Regis mentem sensusq; in vota atq; præces suorum in hesteret, post multa de libertate Polonicæ gentis disseruit. Postremo multis exemplis docuit, quã summæ semper fuerit virtutis atq; solertiæ in tuenda maiestate Regni Polonicū genus, cohortatusq; Regem est ut & præteritorum meminisset & miseretur præsentium, sciretq; mutatis personis idem genus in suo Senatu esse quibus mens & animus ad defendendam Remp. idem esset, Neq; vero Senatum adhuc illum ita cogere dimittere vxorem, quam maiores nostri coegissent Casimirū Regis auum hanc eandem ducere, sed præcibus ac præcario cum illo agere, petere deniq; & orare, ne tam supplices præces & Senatus & Legatorum, qui illi ad pedes iacuerunt, aspernaretur, neq; tam pertinax vellet esse & voluptatem exigui temporis sempiternæ dignitati anteferreret, scire ac meminisse SENatum quam acres semper fuerint Poloni pro dignitate sui Regni, quibus cum Wladislaus Jagello, proauus Regis Priuilegium aduersum

uersum irrogaret, illi strictis gladijs in Senatu coram Rege, illud considerunt, his exemplis maiorum contra Regem patres conscriptos nondum uti sed suppliciter agere ac præcibus nō minis contendere, quo à Rege leuetur infamia Polonorum genus, quam illi dispar connubium Regis inferret. hæc Gorkanus nimium aptè oratequæ dicebat, fuitque illius Oratio maximè iucunda, erat enim quàm plurimis rebus instructa, sed acta agebantur. Rex enim perstabat in sententia, adeo ut cum Petrus Kmitha Cracouiensis Palatinus & sceptriger Regni, vir summæ autoritatis suo loco quoque benè ingrederetur in causam, ac diceret errantes Reges simillimos soli deficienti ut enim sol defectu rerum conturbat naturam, sic Rex errore conturbaret Rempub. Quæ cum diceret Kmitha Rex hominem interpellat, defineret porro molestus esse se enim tam acrem disciplinam amplius non ferre, qua interpellatione & Kmitha conticuit, & cæteris silentium fuit, magnoq; dolore omnes affecerat illa interpellatio, vim enim inferi Senatorijs sententijs putabant & spetiē habebat minime liberi Regni. Quare Raphael Leszyński, Brzestē. Palatinus homo peradolescens, & a quo nihil minus tū expectabatur, quã illa plena autoritatis vox, quæ habebat liberam incusationem & querelam, suo loco est quæstus

in libera Repub: Senatoribus vocem eripi, Tam vero Clarissimum virum ac Principem Senatus interpellatum esse, hoc nouum esse, & non ferendum oblitus enim (inquit) mihi videris esse Serenissime Rex, quibus nam hominibus imperes. Polonis inquam, si fortè nescis, interpellas Clarissimos viros, ac si tuo arbitrato sit nobis de Repub: & dicendum & tractandum. Patre tuo fuerunt nobis sententiæ liberæ, & vt te quoque Rege sint Respublica prouidebit, affecerat grauis hæc inculatio Regem, partim quod fuerat liberior, partim verò quod Rex hominis per adolſcentis illa inculatione, violari se non moueri putabat, Quapropter confestim excusauit Rex factum, ac se non ideo Petrum Kmitam interpellasse respondit, quod liberè sententias dici nollet, Sed cum tories testificatus iam esset, se adduci non posse vt ab hac vxore diuelatur & alia cõcludatur, quorsum tandem attineret frustra niti contra, ac verba fieri, quibus res nulla respõderet.

Hæc cum Rex tanta auctoritate dixisset, finem attulit huic quæstioni, quam excirauerat, atque hoc tempore vacauerat, non tam Reipub: ac iudicij, quam his magnatibus qui plurimum pollebãt, qui dum se nouo Regi quam essent potentes ostentant per causã vxoris rem ad interregnum deduci studebant, huncque prætextum turbarum habebant. Nam ni ita esset, nunquam hæc inuidiosa vxor, quæ tantos in Polonia his Comitijis faciebat, clamo-

clamores Anno inſequenti, summa aduersantium sibi prius voluntate, Reginæ nomen Regnique, naſta esset coronam. Ac mea quidẽ sententia vxorem hanc præterire omnino fuerat satius, quam aut attentatam postea deferere, aut illius causa animos hominum ad futuras etiam seditiones incendere, Qui ita tum fuerant in citati, vt nisi Samuelis Maczieioui Episcopi & Ioannis Tarnoui, Castellani qui principes pro Rege steterunt, opes & autoritates obstitissent, rem ad bellum ciuile illa contentione deduxissent. Nam & Senatores infensis animis veniebant in Curiam & vulgo legati interregnum iactabant. Rex certe quidẽ ipse, quamuis multis & clandestinis & publicis vexaretur ob vxorem molestijs ita tenax ramen fuerat propositi, vt Polonia facilius cum vxore excedere, quã sine hac ibidem manere vellet. Habuisseq; in animo dicebatur, Regno in Comitijis deposito, in Lituaniã proficisci, quod ne faceret summa Samuelis Episcopi, & Ioannis Tarnoui Castellani cõtentione, ægre ab illo impetratum fuisset, quod certe sine exitiali Poloniae casu non poterat fieri. Nõ modicam etiam materiẽ huic Controuersia BONA Regina suppeditasse putabatur cum se sperni existimasset, subiecerat in Senatu homines potentes, qui marrimonium illud omnibus rebus quibus possent distraherent & impedirent. Sed veteri prouerbio, Non facile extorquetur Claua Herculi

ua Herculi nā Rex partim ferendo, partim indulgendo, partim dando, facile postea vicit, vt certarim homines maleuoli illi, illam mulierem paucis exceptis non multo post & Patronam Poloniæ appellarent, & Regni DIADEMA illi imponerent, tantum fuit in hac contentione nonnullis studium Reipub. tanta cura fuit, Sed nos ad institutum reuertamur. Legati perseverantia Regis fracti & ea pars Senatus quæ pro legatis magno studio steterat, eo rem ducebant, quo Rex nihil de Repub. suo nomine ageret, neq; ius diceret neq; bellum moueret sed cuncta in Reipub. autoritate presentis Conuentus ageret, quoad ab Senaru & ab Equestri ordine Reipub. esset prouisum, Quod vt ratione postulari videretur, eas conditiones in medium proferebant, quibus Sigismundus Pater filio Augusto Regnum post se tradebat, inter quas illa quoq; erat perscripta, vt non prius Sigismundo Augusto ius in Polonos esset, quam is Lituaniam Prussiam & Satoriam cum Polonia coniungeret, Huic conditioni cum nondum satisfecisset Rex debere illum pro suo iure iurando abstinere ab omni administratione Regia. Hæc quæstio grauior multo quam illa de vxore fuit. Illa enim vxorem, hac vero Regi ipsum adimebat Regnum. Habuit autem hæc causa eosdem in Senatu Patronos, qui contra matrimonium Regis steterant quorum sententia

tia reclararunt illi idem, qui Regis matrimonio impediri Rempub. noluerunt. Quorum Princeps Ioannes Tarnouius Castellanus, vehemētissimè in eam causam inuectus. Mirari se dixit, quonam modo Sigismundus Augustus, Rex à Polonis appellaretur, si illi in Polonos nullum ius esset? Itane tandem perturbare placet omnia vt is quem viuo patre Regem appellauimus, & salutauimus, & quem hoc eodem defuncto, in maiorum suorum loco collocauimus, cuius etiam vocatu huc conuenimus, verbo non re nobis Rex sit? vt eo semoto partes in Regno fiant, & plures pro vno Rege in Polonia existant, vt tam pace quàm bello incerta omnia nobis fiant? Et enim quæro ab ijs, qui remoto Rege, autoritate huius Conuentus Rempub. geri volunt, qui status Regni, quæ ratio pacis? quæ belli apud nos erit? Præsertim cum & in Senatu vnus sententiæ conclusioni nobis standum sit. & in bello vni alicui parendum. Quis quæso Rege excepto, vnus is erit, cuius autoritate domi & foris nitamur? Equidem id agi video, vt neque Senatus autorem habeat, neque bellum Ducem, quam rem quid aliud consequatur, quam rerum omnium perturbatio non Herclè certe intelligo. Quare ego hanc sententiam vehementer repudiandam censeo, neque vilo modo commitendum vt Regia potestas vel punctum tēporis à suo cesset munere.

munerē. Quantum vero ad Conditiones Regi præscriptas attinet, illas ego interpretandas ita censeo, vt expedit Reipub. quod vt expleat Rex opus illi est, idoneo ad agendum tempore, neq; subito coeunt Regna, ac in vnum quasi corpus redacta coalescunt, opus ad eam rem est & tempore, & actione non minus accurata quam longa, Agendi prius sunt Conuentus, vocandi Litvani, Conueniendi sunt Pruteni, accersendi Satorij, deniq; orandi, monendi ac omni ratione ad id omnes sunt appellandi, vt cōsentire ad communem salutem velint cum Polonis, ac idem esse gente atq; lege cum illis, quæ res neq; vnius diei est, neq; vnius actionis, neq; huius nostræ Sessionis & tantæ res dicto, citius à Rege confici queant. Equidem hac mente conditiones illas à Sigismundo Patre de Senatus sententia Augusto Regi datas fuisse memini, vt si is nollet hanc curā suscipere, quo illius diuisum imperium, quasi vnum existat corpus, tum ea primo ab illo animaduertenda iniuria foret, At cum is summo studio, ad id quod promisit incumbat ad eamq; rem tempus petat quis tandem illum conditiuiculæ prætextu remouendum à Repub. & in aliud tempus differendum putat. Est hoc quidem in conditionibus fateor præscriptum, vt Rex ante omnia iuuet imperiū: sed tamen ita intelligendum est id, quatenus illi ad eam rem suppeditauerit, non volū-

tas

tas solū sed etiam facultas. Libera enim Lituania est habet suas leges Prussia, Zatoria etiā iure atq; more viuit suo. Quæ gentes cum imperijs atq; magistratibus & à nobis. & inter se distinguuntur ac ita iuratum, vt & nos ad suas leges Augustum Regē habeant, non possunt ad id inuiti cogi, vt depositis patrijs moribus, ac legibus ad nostras leges moreq; sese redigant, gratia id ab illis, & precibus nō terrore neq; minis impetrandū est. Quæ sanè res aperte ostendunt vt expleat Rex conditiones tempore illi opus esse longo, & opera longa, quod si nos præcipiti studio ab Rege conditiones exegimus, eumq; a Repub. tantisper quoad illas præstitit semouebimus in summas perturbationes ipsi nos præcitabimus & Rempub demitemus. Ne hoc sinat DEus optimus Maximus vt sententia mea Rempub, satis iam satis perturbarā, sine Rege & sine certa lege relinquam, Regem ego in omni ratione Reipub, hunc sequar, cui DEus in manum dedit leges & sceprum, vt illo autore salus atq; tranquillitas in Polonia constituatur. Ego, Rex, Senatorem me tuum esse memini, nulla in re tibi Rempub, gerenti deero, te autorem publici consilij ac belli Ducem agnosco, in iudicio tibi adero, neq; hic neq; alibi tibi deero idemq; faciendum censeo his qui saluam Rempub, volunt esse Dicta hæc sententia fidelis & utilis grauiter est, quæ quoniam contra postulata legatorum. & contra popu-

tra populares homines dicebatur, ideo grata non fuit. At PERRUS Kmitha rogatus sententiam longe aliam orationem habuit. Periculosum enim sibi videri dicebat, Regem quicquam contra fidem datam agere. Proinde petebat quo Rex pro sua iustitia his conditionibus staret quibus Regnum à Polonis traditum acciperet, quas si ille negligeret, quid tandem spei esset reliquum fide Regia vacillante: quæ vt firma stabilisq; sit, ad iusiurandum respiciendū esse Regi ac ad illud ceu ad normā omnē Regni statum illi esse exigendum. Præterea rem mali exempli fore, si verbis, & commemoratione incommodorum fides Regum eludatur, se enim quæuis incommoda æquiore animo laturum, quàm aut iniuratum aut per iurum Regem. Poloniam incommoda quæ illi euenirent corrigere facilius posse, quàm libertatem semel amissam, quæ fide Regum contineretur, recuperare, Proinde sibi è Repub. videri iustitiam edici, ac quoad Rex conditiones præstaret; nihil ab illo de Repub. agi, quod si ille labore ac diligentia præstare conditiones non posset, tamen Reipub. nauaret operam ac fidem suam probaret per illum non stare, quominus fieret id quod promissit: Hanc sententiam summo omnium legatorum assensu Petrus Kmitha dixit Cum talibus contentionibus arderet Principum res Rex respōdit, sibi sententiam Ioannis Tarnouij iustam & æquam videri, secundum quam, se regnare,

ius

ius dicere ac Reipub. prouidere velle, ne qua mora spatium daretur rebus turbandis ac nouandis. Quapropter per præconem diem iudicij pronūciat, frementibus legatis, ac maxima parte Senatus reclamante. Itaque iudiciorum publicorum die adest Rex & Senatus, Sceptriger etiam Regi præit Kmitha, confeditur, fit silentium edicente eodem Sceptrigero Kmitha, qui honorem præfatus Regi, veniam sibi dari petebat. quo illi abesse ab illo iudicio liceret, quo conuelli statum Reip. perseuerabat: Hæc præfatus sceptrū dimisit, ac veneratus Regem ex iudicio abiit, quem subsecuti erant magna pars Senatus & Legati vniuersi. Miserabile sanè fuit, ita distractum esse Senatum, vt amplissimi eius ordinis viri ex Comitijis relicto Rege Petricouia discederent, doloris & mæroris pleni. Rex tamen vt instituerat nauatibus illi fidem & operam Samuele Maczieiowski Episc: & Ioanne Tarnowski Castell: Cracouicē: ius laboriosissimè ac seuerissimè dixit, curauitq; diligenter, ne quod maleficium negotiumuè impunitè vel mora èlaberetur.

Soluto tali discessione conuentu, Rex certiores facit Polonos Equites, ceterosq; omnes per litteras docet, quam iniquè secum actum in Comitijis ab illorum legatis esset, qui incitati ab ijs, quibus perturbari Rempub. vtile esset, negotium sibi facefferent, eoq; rem deducerent, vt nulla

Princi-

Principis autoritas in Regno esset, in quo tam obstinati fuissent vt cum Regi suum tribuerent nomē honorem tamen Regium illi negarent, qui iureiurando maximè constaret. Quare cum Respub. comitijs turbaretur, consulto satis à se in præsentia esse prouisum, ne patrocínio nudata esset aduersus eorum potestatem, qui dominari tenuioribus cōsuescent, Qui vt amoto Rege, ipsi in Repub. omnia possent nunc de vxore, nunc vero de iurisdictione quæstiones introducerent, quo tempus extraherent, ac illum impedirent, Verum se vtrumq; constanter retinuisse, & vxorem & iurisdictionem, quod vtrumq; ex æquo ad fidem pertineret Regiam, quod vt benè ac feliciter eueniat, omnes id velle & optare debere. Hortatus itaq; est omnium ordinum homines, inprimis autē Equites Polonos, vt adessent animis, ac in spem optimam venirent, iustitiæ atq; clementiæ suæ, se non commissurum esse, vt fidei atq; officio suo vlla in re defuisse videatur. Hæc mens atq; sententia litterarum illarum fuit, quam Rex ornatissimis sanè verbis atq; sententijs conscriptas per prouincias dimiserat, vt causam rationemq; suam omnibus probaret, Atqui Comititia huius anni nunc habuere exitum quorum omnis actio illa vehemens & grauis nihil habet præter memoriam tristem Reip. perturbatæ. Hunc Comitiorum motu subsecuta est memorabilis illa scholasticorum Cracouiensium

cædes

cædes circiter Calend. Iunias, quæ cum tota Polonia celeberrima fuit illam narrabo ordine vii facta fuisse ferebatur, Nam cum vesperi casu duceretur scortum non nemini à Iuliana lena non ignobili, præter eam ædem quæ Cracouiæ omnium Sanctorum est, scholastici Ephebi, ex eius ædis schola, qui mendicato victum quaritant cæperunt ad id alludere & lenam lacessere. Lena probris ac contumelijs commota, quod alias crebro idem, illi ab scholasticis illis vsu euenerat, quæstus esse dicitur familiaribus Andreae Czarnkowski, qui quod Præpositus ædis erat, domum iuxta ædem habebat, Huius famuli Lenæ quærelis permoti arma capiunt, ac inermes Scholasticos, intro inscholam refugientes persecuti alios interficiunt, alios vero vulneribus exanimatos relinquunt. Postridie manere diuulgata fit concursus ad ædem, adsunt è scholis atq; ex Gymnasio omnes scholastici, facinus indignum conclamant, ac cuncti Regem in arce petunt, nec iam familiam, sed ipsū Czarnkouium cædis reum faciunt, exoritur in arce clamor, vt in turba & loco & Rege indignus, cum sibi quisq; dux viæ & autor sermonis esset, Quorum clamore exciti Nicolaus Grabia Vice Cancellarius, & Stanislaus Macziciouius Samuelis frater exatrio prodeunt tumultuantes Scholasticos suppressunt, ac illos obiurgant officijq; admonent, vellent meminisse intus Regem esse, à quo

D

si quid

si quid vellent reuerentia adhibita peterent per silentium, Scholastici repulsi ad caecos reuertuntur, sublatos in humeros tollunt, ac in forum proferrunt, testificantur eadem, ac per praconem de more conclamant, autorem caedis ipsumet Andream Czarnkouium, Pleno foro res agebatur miserabili cum eiulatu, Postremo ad vesperam interfectos sepeliunt, moxq; a funere ad domum Nicolai Szatkowij Gymnasiarchae contendunt, instant praecibus, atq; minis vellet cum collegis causam illam suscipere, neq; tam crudelem caedem pateretur abire inultam, adesse vindicem Regem scelerum, Samuelem etiam Episcopum Scholae Patronum praesto adesse, agerent modo liberè Deum ipsum huic caedi non defuturum, quod si cunctentur aut gratiam Czarnkowij sequantur, se consilium capturos, ac Cracouia discessuros Gymnasio ac scholis relictis, Gymnasiarcha rem ad collegas defert ab illis Consilium petit, quid fieri vellet sed dum illi cunctantur Rex publica vociferatione Scholasticos in arcem vocat, ac illis potestatem dicendi apud se facit, Queruntur per vnum vniuersi quam indignis modis pridie reiecti fuissent nec ad Regem admissi. Deniq; orant & obsecrant, ne Rex pro sua iustitia ius libertatis Scholasticae immunitatis pateretur abire inultum, Aderat Czarnkouius, qui vehementer se purgabat Regi testesq; in rem dabat, se domo abfuisse, dum caedes fieret

des fieret, carnasse foris apud sacerdotē certū, nihil actum esse suo scitu, neq; iusu, Erat hic Czarnkouius honesto loco natus, & magnae cognationis. comis item atq; doctus, ac magna cum Samuele Episcopo familiaritate coniunctus Tū anno quinto post Posnaniē Episcopus. Hic ergo cum premeretur suspicionibus ac inuidia communi Sacerdotum arderet, petijt a Rege, quo Rex inquisitores in eam rem daret, causamq; delatione certa cognosceret, Rex Scholasticis respondit, sibi illorū factum displicuisse, quod obliuī officij se illo clamore petijissent, apud quem faciles essent infimis etiam hominibus aditus, Quo esset factum cur exclusi, & non admissi fuissent, nunc se scire ac rē cognoscere, & ne impunita esset magnopere providere sed quoniam Andreas Czarnkowski in Collegio Sacerdotum esset, iudicio illum Regio non teneri. Idcirco eius facti quaestionem integram se permittere in praesentia Samueli Episcopo cuius iurisdictionis Andreas Czarnkouius esset. Recipit cognitionem causae Samuel Gymnasium accersit ac ut Scholastici adsint edicit, Adsunt eū Gymnasiarcha Collegae, è Scholasticis verò nemo, qui per literas cur non adessent causas perferibunt, sed tamen eo non venisse dicebantur, quod familiaris reo ludex illis non placeret. Samuel ut erat homo firmus & patiens, condonare se adolescentiae imperitae dedit, quod ad aedictum non venerint

venerint Interèa autem inquisitores in Andream Czarnkouium dat, ac pro ratione iuris omnia ad ministrat, fit inquisitio omnibus rebus acerrime inquiritur, testes ac iudices dantur, tum locus atq; tempus cum coniecturis conferuntur, Consul etiam cum Senatu vrmano cædis autorem quærit, iuramentog; testes adigit, ad summum nihil, quod ad inquisitionem acerrimam attinet, prætermittitur. Quæ delata ad Samuelem, fidem illi fecerunt, Andream Czarnkouium extra noxam videri, Porro familia illius, eadem illa inquisitione cædis rea deprehenditur, Qua delatione autores fuerant à Rege compræhensi, ac in custodiam dati vt certo accusatori pænas cædis darent, Cæterum Scholastici, quoniam semel reū cædis Czarnkouium cõclamarant, in falsa inquisitione perseuerantes victos à Rege arguere nolebant, & quoniam illis non fatissimebat ad deserendam urbem, Gymnasia atque scholas ad vnum omnes conspirant. Fuit hic ingens motus, nec æqua Andream Czarnkouio homini copioso cum illa mendicante contentio, quanto enim ille magis præstabat nobilitate, opibus, gratia, tanto maiore vulgò præmebatur inuidia: Scholasticis vero illa misericordiam conciliarat miseria, Cum ergo in summa inuidia esset, non solum Andreas Czarnkouius, sed etiam Samuel Episcopus. Et cum scholastici urbem iam desererent Ioannes Tarnouius

Craco.

Cracouiensis Castellanus, qui casu tum aberat ruri proximo, Dat illi Rex negotium motus componere ac scholasticos retinere qui iam ab vrbe maturabant proficisci, Scholastici edicto Conuocantur in æde Francisci, ad sunt cum Gymnastarcha atq; Collegis vniuersi, Episcopus etiam ipse cū Sacerdotibus venit, habetur à Ioanne Tarnouio concio grauis, quo illis suadebat, vt à pertinacia desisterent, simulq; illos est cohortatus, ne huius modì Consilia inirent, quibus Maestas Regia lædi posset, non fore impunitam cædem, teneri cædis autores, lege modo agerent & quiescerent, idq; curarent, cuius causa à parentibus Cracoumissi essent. Inflexere Tarnouius iuuenum sensus videbatur quod illis cohortandis laudem reprehensionis prudenter admiscuerat, Sed cum Samuel, Orationem Tarnouij subsecutus cædem eleuaret dicendo, auxit illorum dolorem vt commotis similes sese ex æde proripuerunt, ac domum scholastico more conclamantes profectionem in crastinum confirmarent. Bene igitur mane cum prima luce adsunt, vna vniuersi colloquuntur, profectionem parant, Ciues etiam vt quisque notos ac familiares habebat, adeunt flentes, salutant ac valere iubent. Postremo magno comitatu egrediuntur ex vrbe, illud carmen solenne concinentes Ite in orbem vniuersum. Ple-na erat vrbs lamentatione atque fletu, honesti etiam ci-

am ciues, matronæ atque homines ingenui, pro familiaritate ac hospitio viaticum offerebant tenuioribus, quos cum capsis, manticis, ac ollis illis, quibus victum quæritabant plenissimis vijs vidiffes abeuntes, Maiores natu negant miserabilius quicquam hominum memoria in Polonia accidisse, Conticuerant enim Gymnasia, squalebant Collegia, obmutuerunt tēpla, ac omnes vrbs partes afflictabantur illorum discessu neque enim ex illa omni frequentia manserat forte quisque qui vel in templo Præsbytero, vel in Gymnasio scholæ Magistro operā daret. Igitur Cracouia egressi, in Floriani venerunt ædem cuius templum in Clepariano est, hic Sacrificium magno contentu, ac illud Sacrum ab illis est decantatum Spiritus domini repleuit orbem terrarum inde digressi, inter initia viæ, humi fratri vnanimis cecingere illud quoque Contere domine fortitudinem Ecclesiæ tuæ inimicorum. Post flentes è complexu diuulsi inita via patriam suam quisq; reperit, ac patrios reuisit lares. Pars etiam in Germaniam. Pars in Prussiam atq; Bohemiam profecti, partes Lutheri auxerunt, sectamque illius quoq; reuersi in Polonia confirmarunt, Erant enim pleriq; illorum liberaliter instituti, ac doctrinis exculsi. Turpe & acerbum hoc spectaculum fuerat Regi, quæ fortuna spectatorem fecerat tantæ calamitatis tantæq; urpitudinis, quare proficiscentes iā ex itinere manda-

te mandato nonnullis illorum reuocabat. Verum paucis ad diem reuersis, reliqui omnes magno animo captum sequebantur iter, causam illius sanguinis innoxij vindici permittentes Deo. certi vindictam illam cædi nunquam in Polonia futuram. Atq; dici memini nullam rem ab hac cæde in Polonia bene, adhuc & fæliciter nobis euenire, daturamque huius cædis panam Poloniã Viri sapientes augurantur, quorum diuinationem quam assidua mala quæ patimur, probent, ordo rerum docebit, sed cum & Scholastici abirent, & illi qui citati comparuerant, absoluti ad socios redirent, Captos quoq; ob eadem Rex dimisit, ac liberos abire iussit, sed hoc loco prætereundum non est, quomodo intra finem alterius anni vertentis apparuerit ira numenq; diuinum. Regina enim Strelimuffæ filia (nam scorto illi cuius causa cædes fuit facta id erat nomē) matrē lenæ suafu interfecit quod illam mater Scortari vetaret, Itaq; damnata Paricidij, ac in fura in curē pro paricidarum more, præcipitata in Istulam est, Lena etiam forcipibus laniata in idem flumen est abiecta. Ita Deus à facinorosis tanto crudeliores pænas exigit, quanto illis homines parcunt magis, Atq; hic fructus legendis historijs est vel amplissimus, vt vicissitudine temporum ac varietate malorum & mutatione rerū, agnoscamus irā vindicis Dei, & moniti cauere, & admissa deplorare Peccata sciamus, quoniã Deus iudex ē Psalmo teste.

Hanc eadem, incendium arcis mox con-
 quitur, cuius dimidiata pars meridiem versus ar-
 sit, quo sanè incendio periclitabatur Arx tota
 cum æde Stånislai Albo recta plumbo, inspe-
 ctante Rege, ac nimium cum Barbara vxore intus
 trepidante, sed atriensium concursu, ac Regis
 præsentia, quæ vrgebat enixius opem ferre, sedata
 flamma, & arx defensa fuit. Tristè rerum fu-
 turarum omen id esse videbatur, cum homines
 continuari mala & alia ex alijs gigni ac nasci vide-
 rentur, nam & incendium anni præcedentis &
Comitiorum morus, & scholasticorum cædes
 coniecturam faciebant, hoc arcis quoque casu
 moueri nos diuinitus. Iam verò post tot infelices
 casus, res confimiles consecutæ ducebant ad su-
 spicandum fata Poloniæ tot casibus portendi.
 Hoc enim anno Scythæ extremis septemb: die-
 bus, Russiam inuadunt, prædas agunt, ac omni-
 a ferro ac igni vastant, & cum Respublica eo
 anno absque præsidio esset, quod neque stipen-
 dio, neque expeditione Comitij Reipub, fuerat
 prouisum, subsidium nullum erat, contra illam
 incursionem paratum, non deerant tamen stre-
 nuu viri, qui vltro manu facta carperent scytarum
 ac impedirent agmen. Quorum Duces erant Ber-
nardus Pretuicius, Ioannes Herbultus, Alexan-
der & Procopius Sieniauij fratres, Verum cum
 hi nec viribus nec copijs, hostibus pares essent.

sustinere

sustinere non poterant. Quare scythæ cum sibi
 armis non obliteretur Peremmirum Castel-
 lum obsident, in quod Visniouicius cum vxore
 ac cætera agresti turba ex fuga sese receperat.
 Defendebatur primo in summa Castellum, sed
 cum obsessis spes subsidij non esset, Visniouie-
cius desperata salute deditonem pollicetur, ius-
 sus excedere prodit, ac se suamque vxorẽ onustam
 auro, quo videlicet gratior esset, captus Scythis
tradit, quem illi deditum mox compedibus vin-
xerunt, vxorem autem ad libidinem serua-
runt. Interim autem dum Visniouicius deditur,
 reliqui partes Castellum claudunt ac oppugnationem
 fortissimè sustentant. At Scythæ cum ex Visnio-
 uicio capto cognouissent, in Castello pleno ac re-
 fertò propugnacula pauca, ac infirma haberi spe
 prædæ incitati in Castellum ferebantur, & cum ex-
 pugnare non possent straminibus atque sarmentis
subiectis Castellum incendunt, ac magna parte
 prædæ quæ superfuerat incendio potiuntur. Quæ
 ex re in spem venerant omnis Russiæ vastandæ, &
 percurrandæ, Erfane fecissent, nisi Ioannes Tar-
 nouius Cracouien: Castellanus ex præfectura
 sua Sandomierien: hostis in cursione nunciata, è
 vestigio exercitum fecisset ex euocatis clientibus,
 ac obæratiss, ac cum hac manu ad Tarnopo-
 lim Oppidum suum accurisset, qui aduentu atque
 nomine suo insolentem hostem victoria repressit,

D 5

ac vltè-

ac ulterius progredi veruit. Nec vero Petrus Kmītha Cracouiē. Pallatinus, qui id temporis quoq; in sua Prāmiliē Præfectura casu erat Reipub. defuit raptim enim & ipse manu facta Prāmilia opem laturus, Ioannem Tarnouium erat subsequutus, sed cum Visnæ certior fieret hostes repressos, ita cum præda domum rediisse, vt profectio illorum similis fugæ videretur causam iustam habuit ad receptum. Atque Russia hoc anno Clade ac vastitate opera Ioannis Tarnouij liberata fuit, qui licet senex & annis grauis esset, nihil sibi tamen ad celeritatem reiiqui fecerat, quin diem nocti iungendo periclitanti Reipub: opem ferret.

Hoc incommodo accepto dolebat Equester ordo, multumque habebat in ore & Vinouiciū captum & peredmicram exustam & abiectam prædam, quærebanturq; passim homines aperte nullum esse regnum nihil certe neq; ordine fieri, Rempub. sine præsidio direptioni propositam esse atque incendio, Quas ob res flagitare conuentum ac comitia poscere, quibus aliquando Reipub. vteretur incommodiorem statū. Quæ & foris vexaretur ab hostibus, & domi esset sine vllis legibus, Cū enim legati proximis Comitijs vt supra ostendi neque de vxore, neque de iusticia à Rege quicquā impetrassent, cum hac restificatione discesserant, vt neque Regem, neque iudices illius in prouincijs ius vellent dicere, quomodo fiebat vt iudices cum iam

iam consedissent, ab Equitibus Iudiciali loco submouerentur. Stanislaus Matthæus certè Stadnicus de Zmigrod illius restificationis fiducia in Lelowo oppido, cum in illum iudex Cracouiē. dioeasis Petrus Dembiński de Petricouice sederet, illa exceptione forum declinavit, quod Regis autoritas Equestri ordine nondum rata esset, Plena erat huiuscemodi restificationum Polonia, dū passim per Prouincias. Iudices in iudicando interpellarentur. Quo nomine Maiestatis Regiæ plerique fiebant Regi, inprimis autem ipse Stanislaus Stadnicus, qui tamen defendente Martino Zborouio Calisiense Palatino socero fuit absolutus. Igitur cum ageretur Respublica Comitia cuncti efflagitabant. At Rex neque conuentus agere neque Comitia habere volebat, quod in illis Regia Consilia ad arbitrium eluderent conuentumque pro Theatro haberent, in quo se iactare ac ostendere conuissent, hisce se neque conuentum, neque Comitia daturum respondebat. Et cum in summis Reipublicæ periculis cunctaretur Rex, Nicolaus Durgouius Gnesnē: Archiepiscopus Regni primas, Crac: venit, Regem adit & monet, hortaturque quò agat Conuerti ac comitia habeat, quod si cuncteretur, aut si quid aliud sequatur sibi esse in animo Reipub. non deesse. Cui Rex duriter respōdissē fertur, non cōmissurū esse vt se inuito Comitia haberi possent. Archiepiscopus cum

cum obstinatius manere in sententia Regem videret Cracouiam discessit, neque Comitiam vti denunciabat suo nomine habuit, siue Regis gratiam respiciens, siue motum Regni timens, qui futurus erat certus, si quidpiam ille inuito Rege de Republica egisset, Hæc initia Regni Sigismundi Augusti fuerunt.



ANNA-

ANNALIS TERTIVS.

ANNI præteriti motus admonebat Regem, vt comitijs tempus produceret, quod verabatur, ne se consimiles turbæ alteris Comitijs exciperent, quales erant primis, qui vero Comitiam flagitabant, respondebat, se nolle Conuentus pro ludo instituere, in quibus certi homines plausum populi malo publico captare consuessent. Mansit ergo Rex in sententia neque adduci potuit, vt Comitiam indiceret, At Ioannes Tarnouius Cracouiensis Castellanus cui Rex summam omnium rerum fidem tum habebat, cum Rempublicam labi videret, egisse cum Rege dicitur ac illi suasisse ne tantum animo indulgeret, vt priuatas suas iniurias, publicis Regni offensionibus anteferreret, tenuis ac infirmi animi videri Regem, succumbere iniuriæ, ac eam malo publico vlcisci velle. Quod si quid ex illa libertate agendi molestiæ in Comitijs Rex caperet, consolaretur id cum charitate patriæ, tum dignitate liberrimæ gentis, cui in Polonia præsideret, sedaciora etiam in posterum speraret sibi fore cætera, cum Poloni nō solum sapientem Regem, sed etiam patientem, se habere perspicerent, qui & prouideret vtilia & ferre aduersa patienter nosset. Hoc leuissimo admonitionis genere Tarnouius vsus, deduxit Regē de senten-

de sententia, perpulitq; vt Rex Adolefcens plurimum de animo remitteret, ac Tarnouij suafu ad quartū Nonas Maij Comitij diem ediceret, quā de more prouinciales Conuenus anceibāt, in quibus mos est ab Equitibus Polonis ad Comitā & Legatos legi, & postulata edi, Acti igitur sunt Cōuentus longe diuerfa ratione quam anno actierant superiore, nihil enim turbatē ab Equitibus in ijs actum fuit, quin verō illa vxor, ob quam turbæ fiebant superiores in summam obliuionem omnibus Conuētibus erat adducta. Illa mandatorum prouincialium summa fuit, vt leges omnes exqueretur Rex, quarū longo abusu maxima pars incōmodo publico fuerat antiquata. Cum ijs mandatis legati ad Regem Petricouiam veniunt, ac die prima Comitiali Rex per Samuelem Cancellarium de more proponit, quanto in discrimine versaretur Polonicū Regnū, Cum aliud comitijs agatur, atq; Respub: postulare. monere, orare etiā, vt cuncti ad Rēpub: pariter incūberent, quā, propter domesticū morū absq; praesidio esse, quam esset perniciosum, accepta nuper in Russia calamitas doceret. Regē eo animo esse, vt nulla in re defuturus esset Respub: quācunque tandē in partem à Senatu vocaretur. Secundū hoc propositū Regis rogabatur patres sentētiā, quorū Princeps Nicolaus Dirgouius Archiepūs sentētiā suā ab hoc proposito auertit & ad illius scripti inuidiā retulit, quo se Regē purgasse publicē de Comitiorū motu superiore

Anna-

Annali ostendimus, cuius scripti atuleus ad contumeliam Senatus cum pertinere videretur Archiepiscopus de Repub: interrogatus respondit, Non sibi eam rationem in Repub. probari, quā Regnū ultra detrimentum, publica etiā infamia afficeret, parum fuisse visum proximis Comitij, nullam partem Respub. esse constitutam, nisi etiā Regijs litteris Senatus notaretur ad infamiam, quā quod latine essent scriptae exteros etiā homines domesticae discordiae testis facerent, hortabatur itaq; Regem, vt à talibus scriptis deinceps abstineret altero cōmodiore scripto, prioris scripti asperitatē mitigaret, quo & gratia exulcerata domi sanaretur, & foris nulla daretur de nomine Polono detrahēdi cōpia. Hunc multi è Senatu fuerūt secuti, Inprimis autē Andreas Gorkanus Posnanien. Castellanus, qui nō obscure sentētia sua Samuelē petebat, quod ex illius quasi officina illa scripta prodierant, quibus aperte illius potentia notari videbatur ad inuidiam, Cui Criminationi breuiter Samuel respondit, quem etiā Rex ipse subleuauit seque auctore scripti professus à Samuele crimē remouit, ac in se illud deriuauit, quod tā verū esset, vt illud corrigi altero scripto minime vellet. Ioānes quoq; Tarnouius sua sentētia hāc gratiam habuit Regi, quod nō alio remedio, quā illo scripto praeteritorū Comitiorū vulnera sanaretur. Cuius scripti, mens & sensus is esset vt oclū & tranquillitatem polliceatur
omni-

omnibus Regia ditione atq; dominatione deuinctis, quæ scripta esse habenda censebat obsidum loco, fidei atq; Clementiæ Regiæ, Proinde non modo reprehendendum Regem non esse sed etiam vehementer laudandum, qui illa Reipub. detrimenta, non Regia potestate, sed oratione mansueta sanaret, ita subleuatus ac defensus Samuel, illorum scriptorum inuidiam vitauit, quorum vtrique auctore Rege ipse scriptor fuit, cuius rei indicio est Oratio ipsa, Valuit enim vir ille scribendo, habuitq; elegans latine dicendi genus.

Absolute scripti crimine, actum deinde per Legatos est de illis ipsis conditionibus præstandis de quibus etiam superioribus Comitij actum fuit, quas, quoad exleret Rex, tantisper à iure dicendo abstineret, Quibus Rex respondit æquum sibi non omnino videri, ob eas conditiones iustitiam non fieri, in tantis præsertim hominum iniurijs, quare velle se instituto suo causas Maiestatem suam appellantium cognoscere, Interea tamen relaturum etiam esse ad Senatum se de Conditionibus præstandis, Legati cum nihil proficere, neque his neq; proximis Comitij sua postulata apud Regem viderent & cum id incuria atque negligentia Senatus fieri putarent, cum patribus conscriptis amoto Rege, per colloquium hanc iniuriam expostulare volebant, Rex primo secretum colloquium recusare, deinde cum Legati instarent vehementius potestatem

statem colloquij secedens cum Senatu legatis fecit. In quo illi per Nicolaum Siennicki, Chelmen: municipij legatum, quæsti sunt, Patres conscriptos quantum de officio remisissent, tantum etiam de autoritate amisisse. Circumspicerent Patres conscripti vicina Regna, quæ breui tempore conuulsa autoritate Senatoria corruerunt, in quibus dum Reges absque Senatu omnia possunt Reipub. affixerunt, Magnum & periculosum opus esse, vni mortali multorum credere salutem, tunc etiam vnum in Reipub. pati, qui plus posset, quam omnes, esse hominum nihil cogitantium de salute communi, ex hac enim ratione existerent Tyranni, qui Respub. suas prædas dicunt esse, Cuius rei exempla, vel ex proxima vicinia summi possent, vbi cum Reges præter autoritatem Senatus, simulant studere Reipub. ex magnis minimas fecerunt, Quæ cum scirent, ac meminissent Patres conscripti, facere illos inconsiderate, quod non obstarent Regi pro arbitrio regnare volenti. Atq; ex omni memoria exempla summi posse, vnum hominem, qui potitur rerum inimicum esse libertatis reliquorum, ita natura corrupta inter homines comparatum esse, vt is penes quæ summa rerum est sublata intercessione in Reipub. cupiat excellere nec æqua parte contentus esse, Quæ cum ita sint Patres conscripti adessent animis, & autoritatem Senatoriam integram retinerent, contra potentiam Regis, quam si

semel conternneret Rex, nunquam postea ne cupiente quidem Senatu in potestate Patrum illum fore sperarent. In hanc sententiam Nicolaus Sienicki verba fecit, cuius oratio admodum probabilis fuit, quadrabat enim rebus, tum etiam Germanica atque Bohemica exempla, quæ oratione legatorum designabantur perterrefaciebant Senatui. Quare de communi Senatus sententia responsum est legatis, Senatui placere nulla in re Reipub: desse, hoc se unum tamen postulare à legatis, ut Regem iudicare æquo paterentur animo, neque Conditionibus illis dudum præscriptis, illum in iudicando interpellarent, neque iudicia illius impedirent, fore aliud tempus conditionibus explendis magis idoneum, nunc iniquum videri in tantis iniurijs, quibus Rex iudicando mederi posset, homines destitui. Hoc pro Senatu respondit Petrus Kmitha Cracouien. Palatinus. idem ille qui superioribus Comitibus, contra Regia iudicia acerrime senserat, ut & legati illo autore testificati ex Comitibus re infecta discederent & ob eandem causam, Polonia non multum ab interregno abesset. Quare cuncti, qui aderant fremebant & indignabantur illud factum, quod idem ille Petrus Kmitha repente mutaretur, ut eandem rem his Comitibus vehementer suaderet, quæ proximis maximo conatu disuaserat. Et certe, (neque enim silentio est prætereundum) plurimum de existimatione sua veteri hac mobilitate sententiæ amiserat, quæ ab eo factum fuisse

fuisse constabat, ut haberet ad Regis gratiam receptum, à quo cum aperte ob uxorem impugnatam negligenteretur, ob eamque rem gratia illius vulgo vilesceret, sententiam mutare potius quam auctoritatem amittere Kmitha maluit, quæ parua illi tum auerso ab illo Rege refrabat, Quare ut auctoritatem recuperaret, qua tenuioribus dominaretur, omni ratione his Comitibus sese Regi dabat, ac illi studebat, Legati cum viderent summa voluntate Senatus iudicia Regi permitti, destitutos se per Ioannem Syrakowski queruntur: ac frustra hæc eadem in Senatu iterant, Cæterum, cum soli essent ac nihilo proficerent, orandi finem fecerunt, neque molesti verbo iudiciorum nomine Regi post hac fuerunt.

Iudicibus auctoritate Senatus Regi permissis Legati de integro rem commouerunt, noua disputatione dignam egerunt enim de executione Legum, cuius rei nomen cum non minus ambiguum, quam captiosum esset, alij alium instituebant exequendi modum, alijs enim exequi placebat, solas leges ab Ioanne Alberto & ab Alexandro Regibus profectas alij vero omnes in uniuersum exequi oportere censebant. Summa contentione legatorum & Senatus pugnatum est horum qui potior esset exequendi modus, hoc enim certe quisque censebat, quod in rem suam fore videbat. Qui enim Principium exequendi à Ioannis Alberti, & ab Alexandri, legibus ducebant, id in primis spectasse dicebatur ut Samuelis Episcopum Cancellariatum Ioannem

vero Tarnouium Castellatum Sandomierienſi præfectura deſiſcerent, quod his duobus ſumma apud Regem gratia, ſummaque autoritas magnam vulgo inuidiam conciliarat, Itaque cum lex in Polonia illis Regibus lata eſſet, ne Cancellarius Regni ex maioribus Episcopis ſit, non licere Samueli cum Crac. Episcopatu Cancellariatum contra eam legem obtinere Legati cenſebant. Quæ lex nulla mihi quidem ratione niti videtur, Cum enim Cancellarij grauiſſimum ſit in Repub. munus in eo non ſolum dignitatem, ſed etiam fortunam ſpectare puto oportere qua adiutus ad tantum munus ſit ille inſtructior, Nihil enim Cancellariatus aliud eſt, quam Vigilia Reipub. aut officina quædam ingenij atq; doctrinæ ad quam ad miniſtrandã, multis opus eſt Cancellario adiumentis, non ſolum ingenij, verum etiam fortunæ vt quam plurimos idoneos ad tantum munus gratia & largitione habeat obſtrictos. Nam in tenui re, vt fides eſt anguſtior, ita & facultas adminiſtrandi muneris ſit in firmior. Et cum tantum in Cancellario ſit poſitum, recte in Germania Princeps publici Conſilij Moguntinenſi Archiepiſcopus Romani imperij eſt Cancellarius, idem ſit Romæ, idem in Gallia, & in Anglia, ac in cæteris bene conſtitutis Ciuitatibus, Memoria etiam noſtra in Polonia, contra hanc legem Cancellarij fuerunt, multi Clariffimi Viri, vt Petrus Tomicius, & Ioannes Choinicius, qui in

Episco-

Episcopatu Cracouienſi: ſumma cum dignitate Regis, magnoq; cum emolumento Regni Cancellariatum geſſere. Quod tamen in illis homines non moleſte ferebant, Tum enim Reipub. leges non legibus Reſpub: ſeruiebat, ac nunc fit ſecus quando in perpetua Regni pace, ac diuturnitate ocij, turbulentæ quæſtiones, ac linguæ certamina conqueruntur de induſtria, quod in Samuele accidiſſe videmus, in quo cum ſumma eſſent omnia, tamen tantum in ocio potuit inuidia, vt certi homines ad aliquem indignum atque inſimum hominem, ampliſſimum illud munus mallent peruenire, quam pati illum ſummum virum, ac rebus omnibus excellentem illo fungi munere, Quare cum Samuel & magnam inuidiam ex matrimonio Regis, pro quo proximis Comitijſ ſteterat, haberet, & illum homines tantum præſtare nollent, lege illa de cancellario inutili & tor exemplis antiquata Cancellariatum illi abrogabant.

Similia maleuolorum vitia, in Ioanne Tarnouio his Comitijſ extiterunt, qui cum bello maximo Datiam perdomuiſſet, ac Moſchouiam maximis cladibus, detrimentiſque affeciſſet, Sigismundus Rex, victoriæ beneficentiæque ergo Sandomierienſi: illi præfecturam aduicalem attribuerat, quod tamenſi aduerſus illam legem erat factum, qua cauetur, vt illa præfectura omni obligatione libera arbitratu obtineatur Regio tamen cum Ioannes Tarnouius

E 3

nouius, maximis hostibus periculosissimisq; bellis
 sapius patriam liberasset, videtur ipsius patriæ con-
 cessu ex æquo & bono contra legem obtinere illam
 præfecturam potuisse, vt vir ille vnica spes, dubijs
 Regni temporibus, hoc Priuilegio & Patrimoni-
 um suum afflictum, ac continuis bellis exhaustum
 reficeret, detrimentaq; illius resarciret & hoc eodẽ
 eum alacrior tum etiam copiosior redderetur ad
 pericula pro patria subeunda, sed inuidia æquum
 & bonum non videt, qua cum Ioannem Tarnoui-
 um eius præfecturæ nomine vrgeret vehementius
 Tarnouius non tam aliorum quam ipse sui victor
 tanquam alter Epaminundas ille Thebanus, coram
 Rege breuiter in Corona exposuit sua in Rempub.
 merita, obq; illi præfectura illa fuerat à Sigismun-
 do Rege attributa, quod si quid in eo peccasset, præ-
 nam se legis Capitalis non recusare, Cæterum pe-
 tere à Rege & à Senatu equestrisq; ordine vt tam pec-
 catum, quam meritum compararentur simul inter
 se, quo sciri posset, plus ne mali ille obrinenda Sã-
 domierien Præfectura, quam boni tot deuictis ho-
 stibus, ex ea Præfectura patriæ attulisset. Ita Tar-
 nouius: Vir simillimus illi Epaminundæ The-
 bano, cuius exemplum tum vsurpauerat, docebat
 se in legem nihil peccasse, sed ne quid, obstare legi-
 bus videretur Præfecturam deposuit, quã vtiq; sum-
 ma Regis voluntate poterat retinere, quæ anno post
 altero, Ioanni filio ex Germania à Ferdinando Re-
 ge rede-

ge redeunti attributa fuerat, libero suffragio, vt Pa-
 tri debitus honos ad filium potissimum beneficio
 Regio perueniret, ad hunc modum inuidiæ populari à
 Ioanne Tarnouio satisfactum fuit, Memorabile sa-
 ne exemplum Principibus viris, vt reiciendis potius
 quã appetendis honoribus velint esse in R. P. illu-
 stres Samuel etiã Episcopus Priuilegio Cancellaria-
 tum tuebatur, quo ille Comitiss Sigismundus Rex
 Cancellariatum cum Episcopatu Crac. permiserat.

Cum Samuel Episcopus & Ioannes Tarno-
 uius Castellanus legibus satisfecissent, docuissentq;
 inuidiam nihil in illorum parte moliri posse, execu-
 tionem ad initium legum summa contentione referre
 studebant. Quorum autoritates secutus Rex aduer-
 sa parti respondit, se suscepto Regno non iurasse,
 in has vel in illas leges, sed generatim in omnes
 secundum hoc iusiurandum se leges executurum ostendit
 verberauerat ea res pauore magno eam partem quæ
 teu laqueo captabat executionem: vt desistere Regem,
 executione illa pleriq; cuperent, multi enim Senato-
 rum & Equitum fuerunt, qui veteribus legibus erant
 obnoxij quas si exequeretur Rex, panam dānatos se-
 qui oporteret, vt infames essent, ea enim multa legi-
 bus præscribitur eis qui Comitiss deponere, quæ
 contra leges obtinerent, admoniti è vestigio nollent
 Verum enimvero veteres illas ac per antiquas le-
 ges, si Rex in Polonia exequi vellet totum illi Re-
 gnum necessario esset retexendum Nam vt mores
 aliarum

aliarum aratum alij sunt, sic leges aliorum temporum alia videntur esse, & quemadmodum videtur pueri cum parentum calceos suo aptant pedi, ita iure sunt irrideandi, qui vetustas leges nostro aptant tempori, quas partim usus coarguit, partim aliquis Reipub. status inuitiles fecit, Ioannes certe Tenczyński Palatinus Sandomierienſis, vir natura peracutus & prudens, acerrimus erat, huius executionis impugnator, qui sella ob senium illatus in Curia cum eadem die reſequentibus Comitibus quoque ageretur, hæc præter cætera locutus fertur, Eum iam morior, rapite me dum licet ac viuum ſepelire, ſi huius executionis quam inſtituiſtis principium vllum ante exitum inueniretis. Non ſentis Rex leges veteres cum moribus abiſſe veteribus, & mores novos à legibus gubernari nouis. Placeat exequi leges veteres, placeat etiam de pæna nihil recuſari veteri, quam leges irrogant ijs qui contra illas commiſerunt. At cum ira poſcente Rep. multi multa conſuetudine longa, cui lex cedit, contra leges veteres, accepiſimus. Credo ego fuiſſe aliquando in Polonia tempus, quando lex illa de magiſtratibus, & de poſſeſſionibus Regis vetus erat vtiſſis Regno, ſed caſus conſecuti, qui in Repub. multum valent, tacite illam legem antiquarunt, & aliam moribus ſanxerunt perfece-
runtque vt ne ea res fraudi eſſet, ſi ego aut quiſpiam alius in aliqua prouincia Magiſtratum contra legem in qua incola nõ
ſum

ſum obtinẽtam, aut ſi poſſeſſiones Regias à veteribus Regibus meis maioribus obligatas habeã, ſaluã exiſtimatione & pecunia mea. Quapropter cum ſæper tẽpori cedat lex, & legem vsus coarguat, cenſeo vt ad Ioannem Albertum & Alexandrum patruos ſuos te referas & ab illorum legibus initium exequendi ducas. His verbis Vir acerrimo ingenio executionem à Capite legum diſuadebat & ad leges à Ioanne Alberto & Alexandro legibus latas referrebat, Quæ illius poſtrema fuit Oratio, Nam cum Comitibus vt dixi in ſequentis anni eadem hæc moribundus repetiſſet, paucis diebus interpoſitis exceſſit e vita. Ita illa executio, quam initio omnes ſtagitabant in dubium venerat, vt qua parte ſuſcipi poſſe non liqueret, legati certe plus ſibi ac Equeſtri Ordini ab illa, quam patribus cauendum putabant, quod verebantur, ne illa executione in dubio illorum poſſeſſiones eſſent, Et quoniã vt mihi quidem videtur, non rã publicum quã priuatum commodũ illa contentione quærebat, ideo hæſit hæc executio ad metas nec quo digitum proferat adhuc reperit, vt dictum Ioãnis Tenczyński ſapiens tẽpus ipſum cõprobaret, ac de executione quidẽ, & de ceteris rebus his Comitibus, ita tũ actum fuit, vt in cho-
rata multa, nulla vero eſſent absoluta, cum contentionis cauſæ, in priuatorũ cupiditatibus incluſæ, vtilitatẽ cõmunẽ a publico conuicio excluderent. Inter diſcepratonum magnarum publicas curas interceſ-
ſit res

lit res parua dictu, sed quæ studijs partium in magnum certamen postea exceſſerat, magno detrimento maloq; publico. Cum enim ob hæresim, magna inuidia arderet. Sacerdotalis ordo, his demum Comitijs, illa vehemens inuidiæ flamma erupit. Nam cum sacerdotum neq; Zelum quorundã neq; potentia omnium homines vulgo ferrent, ex longo tempore occasiones quærebant quo & vim eneruarent, eius ordinis. & illum ad pristinae vitæ officium redigerent, Quod cum obſtante Sigismundo Rege, qui ei ordini & indulſerat præcipuè, & propter opes confidebat maxime, homines exequi non possent, Sigismundo Augusto demum Rege, occasionem sibi oblatam putabat. inuadēdi eum ordinē. Cuius rei Magnam præbuit facultatē Ioannes Dziaduski Ielito Præmissiē: Epūs, qui cū laudis esset cupidus, nec ad eā alijs artibus posset peruenire, cā inibat ad laudē viam, quo ex Lutherana causa, cum apud vulgus sacerdotū, tum apud summū Pontificē creſceret. Quo sanè consilio ille multos præstantes ingenio viros in Diocæsi reos fecit, pterosq; sacerdotijs exiit, non nullos etiã proſcripſit, è quibus Stanislauum Orichouiū Rutenum eximium habuit, quē vexaret, ac Diæcesi Præmissiē: exterminaret. Erat hic Orichouius à puero magnoperè Philoſophæ deditus, tum etiã religionē non fucatā, sed verā & integrā, priuatim ac publicè coluit ac docuit. Quod cū Ioānes Dziaduski nō ferret, aſper in Orichouiū sæpè & acer fuit. At Orichouius

chouius, cum neq; Ep̄m, neq; cælibatum sacerdos ferret, de amicorum ſententia ſtatuerat repudiato ſacerdotio, quo erat in Eccā Præmiſſiē: cōplures ānos functus, vxorē ducere, vt liber importuni homines collegio, caſte in matrimonio viueret, Quā rē ille palām præſerebat, ita, vt Viſnæ in Conuentu rogatus ab Ep̄ſcopo, vxorē ne duceret: ducturum ſe propediē reſponderet. Quo reſponſo Ep̄s ita exarſerat iracundia vt aqua & igni per tabellionē in eodē Cōuēntu publicè Orichouio interdiceret, ſi is vxorem cōtra interdīctum duceret. Orichouius, cum & vxorē palām ambiret, è Gynecio Petri Kmythæ, Sophiā Straſzonis filiā & Ep̄s ob eam rem inſenſus admodum illi eſſet, cauſam hanc ad Comitia Regni defert, ac in concilio Legatorum interdīctum Ep̄ſcopi recitat, petitq; quo cauſam illam recipere Legati, ac ne paterentur Ep̄s in bona atq; caput hominum tam atrocibus ſequere interdīctis. Legati cum iniuria Orichouij, tum periculo cōmuni cauſam ſuſcipiunt, ac Regē adiuuunt, agunt & orant vniuerſi, ne Rex Ep̄s ius Regium ſibi uſurpare in Polonia pateretur, Soli Regi conuinctos rerum capitalium licere proſcribere ac illorum bona publicare, Præterea nemini, quod ſi tantæ Eporū poteſtati, Rex nō obſtaret, equitibus Polonis cōſilium cōtra Ep̄ſcoporum vim non defuturum, Dicebantur hæc ad Regē in Corona à Legatis, quorum præcipui fuerunt, Petrus Boratynski, Nicolauſ Krzycki & Ioannes Sirakowski ad quorum

quorum accusationem, & querelam tacuerant Episcopi forte ex admiratione accusationis liberæ. Tum enim primum equites Poloni ausi sunt, contra ordinem Ecclesiasticum liberam vocem publicè mittere, quod ante hanc diem in Polonia factum nunquam fuit, Orabant etiam Regem, quo Orichouium suam causam conquerentem audiret, Quod agrè obstantibus Episcopis impetratum à Rege fuit, cui potestate dicendi facta cum ille pro matrimonio dicere exorsus, attento & beneuolo Rege benè profecisset, ac ad eam partem venisset, qua de calibatu illi dicendum erat, Episcopi commoti ex Sellis prosiliunt, hominem interpellant, ac ne Rex audiat, orant, Indigna Res videbatur in libero Regno coram Rege, vocem hominibus eripi, nulla reuerentia Maiestatis, neque ratione libertatis adhibita, quare cuncti qui aderant, fremebant, vt ad veterem inuidiam plurimum odij illa interpellatione Ordini Sacro accederet, Cum ergo interpellarent Episcopi, ac Orichouium loqui prohiberent, Rex misit in consilium, ac de consilij sententia per Petrum Kmitham pronunciat, Orichouius ira causam diceret, vt ne verbo Episcos lederet, Steterat in præcipiti res Orichouij, paratus enim venerat, vt intercepta orone nihil posset ex præparato, dicere, Itaque conticuerat, ne quo se verteret habebat, At cum penè stantes amici cum cohortarentur adesset animo, neq; mentem sibi tanto in con-

uentu

uentu effluere pateretur, Ille erectus cohortatione de integro initium dicendi fecit, & extempore Orationem habuit, in qua breuiter vitam atq; studia, quæ in priuata vita coleret, exposuit, quorum illa summa esset, vt bono Rege bonus ipse Ciuis, esset, vt merito ab Episcopo, interdicto illo infami notari non debuerit: Petebat ergo à Rege, quo ille suo decreto interdictum Episcopi tolleret. At Rex de Senatus sententia tantisper distulit cognitionem illius interdicti, dum alias quoq; quaestiones, quæ contra Episcos afferbantur cognosceret. Interea Episcopi, quod verebatur ne sublato per Regem interdicto, illorum minueretur autoritas, Orichouium ad colloquium vocarunt, ac illi cum sex comitibus in Curiam Gnesnensem Archiepi potestate veniendi fecerunt, sed cum genus comitum illi non præscriberent, Orichouius Andreae Gorkani adiurus autoritate & gratia amplissimos viros sibi comites parauerat, vt Nicolaum Radziuulum Vilnensem Martinum Zborouium Calisiensem Nicolaum Brudzouium Lanciciensem Raphaelē Leszyński Brzestiensem Palatinos, ac ipsum Andream Gorkanum, quæ duo filij Lucas & Andreas fuerant subsecuti hi priuatorum hominum habitu, vti erat imperatum, intro in curiam Archiepiscopi cum Orichouio ad colloquium venerunt, Res admiratione digna fuit amplissimos viros pro Orichouij causa, priuatorum hominum personam suscipere, tantum illi tum gratia apud summos viros inueterata in-

uidia

uidia ordinis Ecclesiastici conciliauerat. Interea loci Archiepiscopus cum Episcopis, ac cum multa Sa- cerdotum cuiusq; generis turba se congregauerat, nihil de aduentu illorum Virorum suspicans, sed solum Orichouium cum paribus aduentantem ex- pectans. Quem cum præter spem aduenire cum am- plissimis viris Episcopi viderent, attoniti re inspe- rata, vix tandem recuperata voce dixerunt, Nolle se quicquã in illa turba cum Orichouio de rebus sa- cerdotalibus agere. Hic Gorkanus vt erat in sum- ma modestia vir acerrimus, quid tandẽ (inquit) ob- stat, quo minus agatis nobis præsentibus quos sex- tãtum, vt imperastis adesse Orichouio videtis. Tum Archiepiscopus, non tales (inquit) iusseram, quales vero (inquit) Gorkanus, An non videmur vobis idonei, qui adsumus homini necessario; an vobis li- cebit interesse nostris rebus, nobis vestris non licet dum hæc aguntur concursus fiebat, ac vulgo homi- nes intro rumpebãt, vt obsisti à ianitoribus nõ pos- set. quoquidẽ tẽpore mirificus fuerat Ioãnes Dzia- duski qui plenus cõfidẽtia Gorkano iurgãti respon- dit illud Pauli, Honorabile connubium, in omni- bus in clericis locum non habere, sed cum Episco- pi nihil agere cum Orichouio vellent, qui venerant grauitèr offensi, nulla salute reddita discedunt, ac palàm se indignè habitos esse ab Episcopis querun- tur. Legati hac Epõrum voluntate cognita, prima- rios duodecẽ viros è collegio ad Archiepũm misse- runt, qui illi denunciarent, equites Polonos Ori- chouio

chouio cõtra Epõrum vim non defuturos, neq; pal- suros Epõs in Polonia vitæ ac fortunarum domi- nos esse, Magnus is motus fuit, vt ex priuata cõten- tione, publica causa existeret, magno non solum Religionis, sed etiam R. P. detrimento, vt post apparebit. Cæterum Ioannes Tarnouius Castella- nus, cum instare legatos assiduè pro Orichouio a- pud Regem videret, cum pro cõsuetudine sua, tum pro amicitia, quæ illi cum Samuele Epõ summa fu- it, mandato Regio, vocat causam ad sese ac adhi- bito Petro Kmyntha Palatino, exclusa multitudine, apud Samuëlẽ domi pacẽ inter Orichouium & Io- annem Epõm tali cõditione conciliat. Vt Orichou- us non prius vxorem duceret, quam Pontifex Ro- manus eius ducendæ autor fieret, atq; ita discessum fuit bona cum vtriusq; gratia. At Episcopi vt spem vxoris Orichouio funditus adimerẽt, à Petro Km- ytha contenderunt, ne Virginem è Gynacio vxoris suæ nuptum Orichouio daret, quod etiã est factum qua spe frustratus Orichouio, alio animũ & amorẽ suum contulit, quæ res illi præter spẽ feliciter eue- nit, Nã cum Andreas Gorkanº & Martinº Zbo- rowski Palatinº Orichouiu cæpto desistere nollẽt, diligenter cum Ioanne Chelmio Crac. municipij equite honesto & nobili per literas egerunt, quo illo vnica natã suã Magdalenã Orichouio vxorẽ daret, quod etiam obtinuerat, id quoniã ad sequentẽ an- num pertinet, sequenti quoq; planum fiet annũ. Rex dimisso cõuẽtu, nulla re cõstituta Petrica- dens ite-

dens iter ad vxorem habebat, quem officij causa erant, secuti complures Senatorij Ordinis, quorum Princeps fuit Petrus Kmitha Palatinus Crac. vbi est ventum Barbara vxor obuiam Regi alacris procedit, ac illi in aede Stanislai aduentum gratulatur hilarior multo quam dudum, quod & Comitibus secunda illi erant omnia, & coram adesse eos cum Rege viderat, qui illi prius aduersabantur maxime. Hanc vicissim Rex quam potest officiosissime salutat, posthunc illam venerantur Episcopi Tum Petrus Kmitha sua in illam studia commendat, ac in clientelam & fidem se illi dat, idem faciunt ceteri, Gratum & iucundum spectatu hoc studium fuerat Regi, cum videret vxorem suam, tanto esse in honore apud eos, qui illam ne vxoris quidem prius loco habebant. Eadem omnium Senatorum pars, quae rebus dubijs Barbaram grauissime erat detestata, secunda illius fortuna laudibus illam tum ferebat, illi etiam, qui quod infamilia illius erant, vt contagio quaedam vitabantur, tum numero patronum habebantur, vt in vicem infimis summi propemodum clientes essent. Tantum valent Regum opes, vt facile immutent homines vt non cognoscas eo dem esse. Denique Bona Regina quae nequaquam illam volebat, mirum, cum videret firmas omnium consensu filij iam esse nuptias, Variaua & ipsa Cracouiam salutatam nunc miserat, ac filiam appellauerat, studia illi pollicens

matere

materna, amorem item atque curam caeteraq; quae liberis parentes promittunt, In hunc modum conuersae erant huic mulieri res, nec vero soli sed etiam generi ipsius, Nicolao autem Radziulo in primis fratri illius patrueli, qui quod eius matrimonij conciliator fuisse putabatur, summo apud Polonos odio fuerat, At cum abisset illa tempestas, tanto in honore in Polonia post ea hic vir fuit, vt Principium multi Patronum illum asciscerent, nonnulli etiam ita illi inseruirent, vt in equum ascendentem subleuarent, vt serui dominum, Igitur cum tempus illius niuidiae omne abisset, Barbara autem summam gratiam apud Regem & summo honore apud omnes esset, quod per illam aditus sermonis & gratiae faciles ad Regem erant, pro se quisque officijs ad illam certabat, Petrus certe Kmitha, & Wisnicze cum vxore Regem ac Barbaram salutatam in Niepolomicze aduenerat, quo in loco in venationibus Rex erat, Gratus Regi aduentus Kmithae fuit, tanto hercle gratior quanto illius vxor Barbara Regina propinqua cum esset, turbulento tamen illo tempore pro voluntate viri, animo ab illa fuerat alieno. Nam tres filias suas Illustris vir Kola de Daleow Pallarinus Ruffiae & exercituum Regni Dux nuptum dederat, Vnam Radziulo quae Barbaram Reginam: alteram Herbulto Dobromilski quae patrem Barbarae iidem Herbultae vxoris Kmithae: inde Kmithae vxor fratris confo-

F

brini

brini Reginae filia fuit tertiam Seniauis quae hunc qui nunc viuit Pallatinum Russiae genuerant. Ergo benignè habitus à Rege Kmitha, inuitat Regem ac Visnicium, cum vxore vt veniat, orat. Condicit Rex, ac se venturū ferijs Bartolomei pollicetur, Adcondictam itaq; diē Rex cum vxore Visnicium ad Kmitham venit, Aderat vna Nicolaus Radziuilus Reginae, vt dixi patruelis frater, Quo quidem tempore magna liberalitate vsus fuisse Kmitha memoratur. Nam cum totum triduum largiter Regem apud se habuisset, & cum illum amplissime cum vxore & Radziuilo munerasset, Tum vero ex satellitibus Regis non ferè quisquā ab illo in donatus abiuit, qua sane ille munificentia, omnes superiores temporis offensiones abolere conabatur, Et vt cumulacius auget, ac Regi declararet suā erga illum obseruantiam omnia quae in rem erant Regis, ac in honorem illius vxoris administrabat. Sed cum Rex nihil aequè cuperet, quam vt aliquando vxorē coronatam haberet, ad eā rem studium & operam illi Kmitha praestabat, At cum non auderet Comitibus illius Coronationis causa instituere aliam viam inuenit. Mos est in Polonia Regulos addictos Regno de integro cum nouo Rege fœdera facere & fidem suam iurando obstringere & certis conditionibus, accipitur à Regulis imperium, Quarum illae sunt praecipue, vt eisdem hostes ac amicos cum Rege Polono habeant, & ipsi subumbra Poloniae Regis se latere

& in

& in tutela ac praesidio Regni iure fœderis positos se esse agnoscat. Quod ius cum à morte Sigismundi, neq; Pomeraniae neq; Russiae Duces ab Augusto Rege vsurpassent, Hanc occasionem Rex nactus indicit repetendis fœderibus diem, vt Conuocatis Senatoribus, non solum fœdera faceret, sed etiam vxorem praesentibus illis coronaret Ad hanc diē magna pars Senatorum conuenerat, non nulli tamen cum aliud agi, aliud simulari praesentiscerent, inuenta causa aberant. neq; adesse illi Coronationi, vt propositum tenerent, volebant. Cum iam Coronatio esset decreta, neq; Senatus consultum de ea re vllum fieret, Ioannes Tecynski Sandomierien Pallatinus & Andreas Gorkanus Posnanien Castellanus, perennes huius mulieris inimici aberant, ex Principibus autem fœderatis aderat, nemo. Nam per legatos illi diem edicti obibant. Itaq; ad V. Idus Decembris, nullo Decreto, neq; scito publico Vxorē Regis Crae: in Aede D. Stanislai, frequenti Senatu Nicolaus Archiepiscopus coronauit. Ita hic Archiepiscopus, qui superioris anni Comitibus Barbarā sua sententia repudiavit, peccataq; illius repudio contracta viritim diuidebat, hoc anno ipsā hanc, non vxorē tantum Regis appellauit, sed etiā Reginā Poloniae vnxit, coronauit & declarauit. Hac via ad Reginae nomen, Regniq; Coronā Barbara peruenerat, quae tamen iam tum langueret, tamen infirmitatē corporis, voluptate tanti honoris sustentabat, dicere

F 2

etiam

etiam solebat, se nō curare, vt vna die plus Coronationi superesset, Quæ eius Oratio omē fati fuit, neq; eū sefellit spes illā. Nā mense à Coronatione sexto, graui morbo, cui Cancer nomen est, decessit, Postridie eius diei Rex in forum descendit ac pro Tribunali ante Curiam Regio more confedit, fæderaq; cum principum Legatis fecit, spectante Regina ex aduersa curiæ domo Iordani Spithkonis de Zakliczino, Regni Tesaurarij, vnde in forum despectus facilis est, Dum hæc Cracouiæ aguntur, dies à Rege dicitur Nicolao Olesnicio Viro Patrio sectæ Zuinglianæ nomine, quod is inexpiables religiones in Reipub. induceret. Erat hic in Sienensium familia natus, vnde multi clari viri in Polonia fuerunt, ex quibus Sbigneus Cracouieñs, Episcopus, & vrbis Romæ Cardinalis, vt cæteros prætermittam, patrum memoria fuit, vir acerrimo ingenio, præstanti etiam doctrina, in tuenda vero Repub. libertate tanta vt Casimiro Regi huius Augusti Auo noua quædam & pernitiōsa Repub. moienti, non vt Senator Regis sed vt Regni pater resisteret, Cuius illud præter cætera facinus memoratu dignum fertur, Cum enim Casimirus bellis ex haustus ex æde S. Stanislai sanctius ærarium vellet auferre, & iam ad Sacrarium accederet, Zbigneus indutus Lintea, religiosaq; veste, obuiam illi è Sacrario prodit, ac irruentem sustinet. Quo tandē inquit ruis Rex: Sacrano yasa pergis eripere & non

patiar

patiar æquidem quod si tu propterea Boleslauum ages en tibi ego adsum Stanislaus, sed à vasis abstineto, His verbis vir ille refutauit iratum admodum Regem, ac illum à pecunia illius fani auertit, multa sunt huius viri prodita exempla, non solum à Polonis sed etiam à Romanis scriptoribus. Is igitur Zbigneus huius Nicolai patruus maior reliquerat posteris cum bonis exemplis abundantem, tum vero opibus florentem familiam, In qua natus Nicolaus ac liberaliter institutus nulla in re patrio decori defuit, Verum cum is doctrinæ quoq; studio teneretur, Magistros nactus in Zuinglianā sectā incidere, Cuius sectæ illa sunt decreta, In sacrificio publici nō corpus neq; sanguinē Saluatoris christi, sed panē atq; vinū merū proponi, Sacerdotiū nullū esse, Missā idolatriam esse, Cæremoniam Baprisimj extra aquæ ludum atq; iocum esse, lā ieiunia, Monachos ac Diuos non minus impiè quam stultè eleuabant, & quæ sunt modi istis cætera, Ad huius modi praua decreta Nicolaus Olesnicius Zuinglianis magistris docilē se præbuerat, Cū eñ Franciscus Stankarus vir Italus, damnatus huius sectæ in Lipouicio Castello vbi Episcopalis carcer est aduersaretur, ab Samuele Episcopo vincitus inde vero delapsus per funē ab Stanislao Lasocio Lanciceñ sub camerario, & ab Andrea Tricesio Nobili adolescēte armatis sub castello exceptus fuit, & ad Nicolaū Olesniciū Pinczouiū deductus, Quo loci cum se

F 3

refe-

refecerat, cæpit errorē inſtaurare Zuinglij in idq; o-
perā dare, vt abducerēt Oleſniciū à religione pater-
na & perſuaderet illi religionē externā, Cuius ad præ-
ſcriptū imagines è fano tolli, cænā pro vſitata pere-
grinā inſtitui, Sacra quæ Monachi in eis oppidi fa-
no religionib; vetuſtis adminiſtrabāt, expiōdi iu-
bet. Erat hoc fanū cū adiuncta monachorū domo,
munificētia Zbignei, cuius ſupra mētionē fecimus,
operofe exſtructum, ac liberaliter ditatum, q; pro-
fanare Stankar; properabat, cuius cōſiliū cū Oleſni-
cio videretur periculofum eſſe, nequid in cōſiderate
faceret, vocat amicos, ac cōſiliū adhibet, in quo va-
riatis ſententijs, illa poſtremo vicit, vt imagines cum
reliqua ſuppelleſtili ſaluæ in fano, manerēt. Mona-
chi etiā veteri inſtituto ſacra facerēt, quod nihil ea-
rum rerū mutari, tum poſſet impune, a deſſe Regē in
proximo, Epōs etiā Cracouia nōdum diſceſſiſſe, fo-
re hiſce reb; murādis aliud tēpus magis idoneū. In
præſentia placere cænā inſtitui, idq; fieret in arce
priuatim, nō in fano publicè, quod in oppido ſubie-
ctū eſt arci, ſecundū hęc ſententiā permittunt. Strā-
karo nouæ cenæ modū præſcribere, ac illius vſum
docere. Tum homo nefarius æquē diuina ac huma-
na contēnens, cæperat illorum adoleſcentiū mētes,
quorū erāt pleriq; potētes ac nobiles, ac rerū noua-
rū cupidi, qui q; inſenſi erant, Romanis ſacerdotib;
authore Stankaro, in Zuinglianās partes conceſſe-
rant. Ita poſt Chriſti religionē à Polonis ſuſceptā,

co loci

eo loci primum externa religio Poloniam inceſſit,
adeoq; popularis error is eſt fact; , vt nō ſecreto mo-
do, intra parietēs ac poſtes priuatas, cōtēnerētur an-
tiqui ritus: Sed in publico etiam ac foro aulaq; palā
exagitarētur, ne quicquā prohibentib; Episcopis,
quorum autoritas cum ab Orichoui cauſa licet
longe diuerſa vulgo cæpiſſet vileſcere, prohibere nō
poterant, quin longius ſerperet, hic error, & ani-
mos hominum occuparet, magno cum totius Re-
gni diſcrimine. Igitur cum naturale illud Oleſnicię
familie ſtirpis bonum in Pinczouia Strākar; vitiā-
ſet, Primo ſecrete bonorum indignationes exaudie-
bātur, deinde ad partes etiā & ad publicā querimo-
niā exceſſit res, Incuſabātur grauiter, à Senatorib;
Episcopi, q; ſectis paterētur inſici Regnū, quorum
officium talib; malis occurrere ac impijs religionib;
populū liberare, Obierat iā morte Samuel, Ioānes
autē Przerēbski Proepūs in Cracouia erat, cui ne-
gorium ab Gneſn; Archiepō datur, quo Nicolaum
Oleſnicium euocaret ac illi diē diceret, Adeſt ille ac
diē cum multa familiarū & cognatorū turba, obit,
Aulici etiā frequētiā illi præbēt, in quē cum proepūs
cum ſacerdotum collegio iudex conſediſſet, ac mul-
titudinem quæ aderat, a moueri è iudicio iuſſiſſet,
multis exagitatus probris, haud procul abſuir, quin
violaretur, Vbi autē potētius iam eſſe id malū Pro-
epō apparuit, quā vt per illum ſedari poſſit iudicio
deſtitit, ac rē integram cum Episcopis ad Regē de-

F 4

tulit.

tulit. Queruntur apud Regē Episcopi, quā indignē cōtēneret iudicia ordinaria, quāq; immodestus in iudicio proep̄i. Nicola⁹ Oleſnici⁹ fuisse Andreas etiam Zebrzydoui⁹ Cuiaviae Ep̄s, hunc, accusat grauisſime, orat & obtestatur Regē, ne is pro Maieſtate Regni pateretur, pietatem, patriā in expiabili religione commutari, Respiceret Germaniā, quā quamdiu Romanam fidem coluerat, tandiu nullum ciuile bellum vidit. Ad polluta hac fide & repudiata veteri, cum in Germania non plebs sacerdoti non sacerdos Episcopo, non Episcopus Papæ paret imperio, nec Cæſaris etiam dicto audientes esse Germanos, Ira à Deo cōparatū esse, vt Regia potestas ex sacerdotali potestate dependeat, qua sublata, res Regnaq; stare nō posse cū præſentia nemo Regis, nemo sacerdotis verecundiā habeat, Proinde orabāt Regē, vt cum vestigio tolleret quā primū malū hoc, quod si negligeret, suā vicem magis, quam Eporū pertimesceret, Religionē em̄, Dei promisso, in omni Regni statu, penes homines, saluti destinatos, saluā mansurā. At Regna prauis opinionibus, semel sedib; suis cōuulsa, nunquā instaurari, neque restitui, in antiquū posse. Stabat cū Andrea Zebrzydoui⁹ perorante Episcopalis maiestas, ac Senatorū fauor, qui ex oratione illius, magnum casum Regni miserabāntur. Cōmemorauerat enim magno silentio Zebrzydoui⁹ singula. quæ in Deū, ac in illius sacerdotes Oleſnici⁹ admiserat, vt artē sacrifici-

sacrificandi conscripam à Stankaro haberet, vt nec sacrificaret, nec precaretur Deū patrio more, vt vasa sacra ex fano tolleret, vt sacerdotes eius fani vexaret, vt pro illis sacrificulos fugitiuos, & aliunde pulsos reciperet, vtq; ad cōtēptū legū atq; magistratū in Regno cæteris exemplo esset. Audiebat hæc pauore plenus Oleſnici⁹, pro quo verba fecit Nicola⁹ Reip̄ Oxa, vt in tanto Oleſnici⁹ periculo satis, vt videbatur pro re, cōferebat em̄ crimen in Monachos, quorū sceleratā atq; flagitiosam vitam, cum homines in oppido non ferrent, mirum non esse, si inde profugissent, vbi durare præ cōscientiæ teste nō possent. Iussus Oleſnici⁹ excedere. Rex singulorū sententias exquirat, & quoniā idem ferē omnibus visum erat, eam sententiā penā, quam Ioannes Castellanus princeps seueritatis vir dixisse fertur. In hæc enim mens quoq; apparebit reliquorū. Hic enim censuit occurrendum esse, quāprimū, huic tantæ confidentiæ, Inprimis autem eos homines coercendo, qui prauis religionibus captas mētes, velut furialibus stimulis agerent, ad omne nefas, rē mali esse exēpli, cætus ocultos fieri, conuenticula priuatim institui, ac res cōparari contra humanū ac diuinū ius, Quod ne fieret, maiores (inquit) nostri legibus cauebāt, qui neq; comitia, neq; cōcilia vlla cætusue coire volebāt, absq; edicto Regis, quod nullū facin⁹ sit, quod in multitudine dissoluta non reperiatur. Videt se reuulsiſſime Rex, quonā procedat licentia, homines adol-

lescentes coeunt, de rebus in secreto ipsi per se in occulto statuunt. Religiones nouas instituunt, veteres deponunt, ac specie fallaci religionis prauae, legitimos Epōs cōtemnunt. Quod si fers & pateris Germaniæ casum expecta, quæ nunc talium sectarum dat pœnas, quæ praua Lutheri religio impleuit bello, & sanguine ciuili, Nunquam in dispari religione stabilem fidē Reges in se deprehendent, fidei enim, erga Reges fundamētum pietas in Deum est, quæ ubi vacillat ibi quoq; fides Regib⁹ incerta est. Id meruēs pater tuus, & ipse curabat, & cæteris mandabat magistratibus vt sacra externa fieri verarēt, Sacrificulos hæreticosq; Regno prohiberēt, illorum libros cōquirerent, cōburerentq; ac communē disciplinā, Deū colendi, præterquam more solito, abolerent Videbat enim prudentissimus vir, nil æquē dissoluedæ R. P. esse, quam ubi non patrio sed externo ritu Deus colitur. Habes domesticum exēplum, q̄ te hortetur, vt religionem quam à maioribus per manus traditam accepimus, omni rōne nobis præstes. Quod si qui ab illa defecerint & cōisse aut conuenisse causa Sacrorum externorum deprehensi fuerint habes in hos leges, quibus heretici afficiuntur, ac illorum errores quibus nomen diuinum contaminatur, vindicantur, his astringe ac cōprime licentiā, neq; patiare illā vires sumere, tibi tuoq; regno aduersas. Eadem sententia Petri Kmithæ Palatini, & cæterorum vt iam dixi fuit. Sed cum nimis graues à Principib⁹

contra

contra Nicolaum Olesnicium sententiæ dicerentur Valentin⁹ Dembinski Bieceñ; Castellano vir mītis & prudens, cū leges, quas Tarnouius citabat de Hæreticis acerbissimas sciret esse magnopere, censebar, vt Rex daret hoc Clarissimæ familiæ, ignosceret errori, misereretur Adolescentiæ, nō legib⁹, sed vsitata clementia cū Olesnicio ageret, neuē Senensium præclarā gentē eximiā haberet, nec illi primo in Polonia hūc legib⁹ infamiā irrogaret, Ita hic è minori ordine Castellanus seueram Ioānis Tarnouij sententiā miti oratione tēperauerat. Rex mediam securus est, quam per Ioannē Tarnouium pronunciauit, qui aduocato Nicolao Olesnicio, nihil de seueritate sententiæ suæ remittens, docet, quid meritis ille, quæue pœna dignus fuerit si Rex mansuetudinis suæ vellet obliuisci, Tum ad seueritatē addit leges, cōtra quas ille cōmississet, quas aperto volumine recitauit, & quamuis illius facinus animaduertendum esset, tamen in præsentia Regem Clementiæ suæ meminisse velle, in posterum vitaret offensiones, Franciscum Stancaurum ab se remoueret, Deum patrio more coleret, à sacris peregrinis abstineret, Monachis & illorum sacris in illo oppido nō obesset, id mille aureorum vadium præstaret. Additum deinde à Rege de Hæreticis est, edicit enim, vt qui viri, quæue faminae sectæ alicuius de præhensæ fuissent, de illis ad legū præscriptum municipiorum præfecti sumerent supplicium. Porro Nicolaus Olesnicus, vti erat imperatum,

peratum, cōfestim Stancarum ab se obligat, qui pro fugo Regium mōtem petiuit quo in loco, cum plurimi essent seclatorum auctores, quibus nulla convenientia religionis erat in hisq; Andreas Ostander seclæ autor suæ, Francisco Stankaro ob diuersā seclā esset infestus admonit⁹ à Principis vxorē, inde profugit, quod princeps Ostiandri, vxor verò Stankari hæresin tuebātur. Quare cū insidiæ ab Ostiandro fuerāt Stankaro ipse sibi consuluit fuga, Verumenimuerò pulso & Pińczouio Stankaro, successerunt in illis locum fugitiui, quorum opera illa seclā ab Stankaro importata, latius serpēdo, in multas honestas familias, propagata fuerat. Horum præcipuus fuit, Martin⁹ Crouici⁹, qui multis annis procurator bonorum Petri Kmithæ Palatini fuit. Hic sacerdos, cum in Diæcesi Præmissiē: Eccā Visnē: administraret, in Zurouicio rure apud Stanislaum Orichouium hoc ipso tēpore, dum hæc Cracou: agebātur vxorē duxerat, Magdalenā Stanislaui Pobietzyski filiā, ob quā rē pulsus à Ioanne Dziaduski Epō, Pińczouia profugerat, & vagus ac exul cum esset, repudiata relligione, quā Visnæ oppido Russiæ colebat, Zuinglianas partes secutus, Sacramētariā seclā Pińczouij Stankari instituto docebat. Nec verò illud seminarium Zuinglianum in Polonia vnquā defuturum est. Cum enī summ⁹ Pontifex, alias res agat, Episcopi autē amissa propemodum autoritate, seclis nō obstant, nō est quod quis speret alio statu Polo-

tu Poloniam fore, quam quo nunc est Germania.

Sed nos in hoc spacio rerum penè præterim⁹ Samuelis Episcopi memorabilis viri mortē, & quomā nostræ ætatis cuiusq; generis exēpla colligim⁹, referam⁹ nos ad eum virum, qui in omni priuato publicoq; munere poterit esse exēplo. Itaq; ne vir memoratu dignus expers partis sit nostræ historiæ, cōmemoremus breuiter illis vitā atq; genus. Hic ergo gente Vitulina, familia vero Macieouia, Bernardo Patre, in municipio Lublineñ: natus fuit. Qui pater, qua nocte vxor parturibat, cum domo abesset, per somnium admonitus esse dicitur, vt eum infantē quē vxor ederet, Samuelē nominaret, somno pater excitus, memor vxoris grauidæ, ac partui vicina, cōfestim ad illam mittit, qui nunciaret, vt si filium peperisset Samuelē appellaret, vxor simul & filium parit, & nuncium audit viri, & illius iussu natum Samuelē appellat. Hæc ego de illo à Bernardo Patre quē colui senē sæpè audiui, atqui huic Prophætico nomini hui⁹ viri vitā ordine video respondisse, Qui cum à puero diligētia patris Bernardi doct⁹ adoleuisset, ad Perrū Tomiciū Epum Crac. se contulit, Cuius consuetudine cum magnam spē de se quotidie daret, ac multum æqualibus præstaret, Parauium ab illo Epō fuerat missus, qua in vrb: Romulo Amuseo Rhetori operā dedit, ac cæteris Philosophiæ Magistris, quorū doctrina erudit⁹ in Poloniā redijt ac eiusdē Tomicij hortatu ad Rēp. accessit

cessit, Sigismundoq; Regi pro more Poloniae, magnus secretarius fuit. Et cum nulla res, apud Sigismundum esset tanta, quam ille autoritate tueri & consilio regere non posset. Primo Ecclesiae Cracouensis Decanus, deinde Chelmeñ: Episcopus ab illo Rege creatur. Et cum ætate procederet, industriaq; illius magnarum rerum procuracione vigeret. Rex Procancelarium illum Regnificit. cuius muneris nomen, verbo deficiens, re in Polonia cum Cancellario idem est. Quod munus ille pro maiestate Regis & pro dignitate Regni cum administrasset, maioribus à Rege dignus fuerat honoribus habitus. Itaq; ex Episcopatu Chelmeñ: Ploceñ: Episcopus creatur. Cancellariusq; contra leges, summa omnium ordinum voluntate vna illi à Sigismundo attribuitur, vnde mortuo Petro Gamrato Craconieñ: Episcopus, ab eodem Rege est factus. Igitur cum in tantum honorem ascendisset Samuel talem se gessit, vt sanctitate inter Episcopos, facultate verò inter Cancellarios præstraret. Vita enim ante omnia fuit pudica, tranquilla & temperata. Huc accedebant culti & expoliti mores, in quibus nulla sermonis importunitas, furor nullus, nulla inerat atrocitas. Adhæc patiens contumelie fuit. Victor & nequaquam vltor inuidiae, quam acceptam ita dissimulabat dolens, vt eos qui leserant, comiter ac si non lesissent appellaret, ac illis benignè interdum faceret. Quæ virtutis atq; ingenij

ingenij vis, in illo, cum alias sapè, tum verò in illa inuidia Regij matrimonij apparuit, quod Samuel illi auctor fuisse putabatur, quod tamen vel ipso Rege teste fuerat secus. Quare cum immerito ille ob eam rem à maleuolis dictis atq; scriptis laceraretur, & cum auctores nosset, nunquam tamen cuiquam eorum propterea fuit infensior: ita hic vir omnia popularis auræ in commoda frangebatur patientia, ac modestia leuabat. hæc priuata in illo, illa autem erant publica. Inconcionibus grauis, in iudicijs mitis, in aliorum vitis indulgens homo fuit. Luteranæ factionis homines magis perterrefaciebat minis, quam supplicis afficiebat. Quæ ex re nonnulli, aluisse illum in Diæceli Hæresin Lutheri affirmant, quod tamen non est, neq; vnquam probari potuit, neq; enim quicquam probabat, eorum, quæ distant, à recta fide. In summa sanctus hic vir in Episcopatu & memoratu dignus fuit. In Cancellariatu quoq; talem se præbuit, vt parem, haud scio, an aliquando superiorior, in eo munere in Polonia haberet neminem siue illius fidem, siue prudentiam, siue eloquentiam consideret. Quibus rebus ille tantum præstitit, vt quidam soliti essent dicere. Si in Deorum cætu Mercurius pro Ioue loqueretur non alio modo neq; lingua, quam Samuelis Macieouij loqueretur, fuit enim vultu & gestu, ac omni cultu in dicendo aptus, & concinnus, Interpretem sanè Regum meliorem cum hunc audires non requireres, latine certè dicendo atque

do atq; scribendo ita excelluit, vt Hieronymus Gyntius Cardinalis Senenſis vir ingenio & iudicio præſtans, qui tum erat Romæ Præpoſitus Signaturæ (vt vocant) ſanctè affirmaret non aliunde literas Romani mitti, quam à Rege mitterentur Polono, Quarum vtriq; ſcriptor hic Cancellarius fuit. Non auderem id ponere hiftoriam ſcribens, niti ex illo, in cuius familia Romæ eram, ipſe auდიſſem. Et tamen cum tantum præſtaret ordine ac munire non ſe extulit, neq; illa facultate, ad inuidioſam potentiam eſt uſus, cum & apud Sigifmundum & apud Auguſtum Reges primum gratia & autoritate valeret, Ita vt facile poſſet in illo ambitionis curriculo, ante alios ſumere ſibi partes priores à quo tamen tantum abfuit, vt omnem ſuam apud Reges gratiam, communicaret cum cæteris ſui ordinis viris, quos ad pacem amplectabatur vniuerſos, ex quibus duos ſummæ autoritatis viros Ioannem Tarnouium Caſtellanum & Petrum Kmithã Pallatinum Cracouiẽſem, capitali diſſidentes, interdum odio, magno conatu reponebat ingratiã, Quo eos magno Reipub. damno diſſidere dolebat, Qui quo hunc honorem huic habere tertio, vt illo iudice ceptis deſiſterent, ac in gratiam ſapè redirent, Quod ſi quando illi ad reconciliandum difficiliõres erant, Samuel neutram in partem propendens fixus manebat, ſalua vtriuſque gratia, Hoc quale ſit, facilius exiſtimabit is, qui iudicare poterit, quantæ

quantæ ſit ſapientiæ inter eos verſari ac uſum & benevolentiam vtriuſque retinere, qui quaſi in acie infeſtis armis in Repub. concurrunt. Quare cum Samuel vtrique parti acceptiſſimus eſſet, ſerendo ac obſequendo perfecit, vt illos duos amiçiſſimos ſibi viros, inter ſe coniunctiſſimos hinc decedens relinqueret. Hac igitur fama virtutum incredibilium, cum Samuel floreret, nomenque illius miris laudibus admirabile eſſet, Hoc anno Petricouiæ Comitijſ infirmari cepit ac cum inde languens Cracouiam rediſſet, ex valetudine in hydrogen lapſus, cum neq; quicquam prodeſſent medici Sacramentis piè religioſeque ſumtis deceſſit Anno Chriſti 1550. ætatis ſecundo & quinquageſimo conditus Crac. in eo ſacello, quod in æde Staniflãi ipſe ſibi viuus designauerat, & quod illo mortuo Familiaris eius Andreas Przeſlawski Cracouiẽſis Canonicus abſoluèrat, Sic ergo vitã finis Samuel Maczieiouiſ, cui, vt conſimiles Episcopos, & Cancellarios habeamus, optare ſanè debemus, Huic ſucceſſere in Episcopatu Andreas Zebrzydouiſ Raduanus In Cancellariatu vero Ioãnes Oczieſki Iaſtrzebicius, Fuir hic Oczieſki in familia Equeſtri ac priuata, & ne inter populares quidem factis nota, à paupere patre generatus, Cui cum generis ſplendor deeſſet, in virtute illi omnis ſpes fuit qua tantum profecerat, vt dignitate multorum in Polonia obſcuraret genus. Solertia enim ſumma

fuit, tantaque Eloquentia siue latinam siue Polonicam res posceret, vt amplissimas legationes Turcicas Italicas, atq; Germanicas, ingenij & Eloquij cōmēdatione obiret. Hic vt dixi, à paruis initijs fortunæ ac generis profectus in familia & disciplina Christophori Szydloüieci Crac. Castellani, singularis viri ita adoleuerat, ita se parauerat, vt nulla humani officij pars esset, in qua ille non excelleret. Nam inter iuuenes Comis, inter senes grauis, inter literatos doctus, inter disertos facundus, inter factos vrbanus, deniq; inter agrestes rusticus homo fuit, vt facilitate ingenij Alcibiadem illum græcum certa vitæ parte in Polonia nobis referret. Cum ergo is ad omnem vitæ partem aptus, Primum Sigismundo Patri, post Augusto eius filio, multis, tam domi, quam foris ingenij documentis probatus esset Samuele defuncto, huius anni Comitij in Cancellariatu fuerat suffectus Ioanni Przerembski Crac. Præposito Procancellariatu relicto, bono item viro, docto atq; industrio, vt Samuelis discipulum possis agnoscere. Ita hoc geminum in Cancellariatu par Samuelis defuncti leuabat desiderium, cum homines viderent, duobus

summæ industriæ viris, post Samuelem, amplissimum illud Cancellariatus munus à Rege esse mandatum,

ANNALIS

ANNALIS QVARTVS.

AD LECTOREM.

LECTOR. Magnam partem huius Quarti Annalis Orichouius in commemorandis suis, & Stanislai Stadnicij hæredis olim in Dubiecko contentionibus, cum Ioanne Dziaduski Episcopo Præmyssiensi consumpsit. quia verò ea plus Reipub: nocere, quam lectorem docere possent, hanc partem consultò omisimus. Cum enim nobis hoc præcipuum studium sit vt in Repub: charissima patria nostra ciues bene ac beatè viuant, & Rēpub: florentissimam conseruent, quod sine pace omnium ordinū esse non potest, adferre exempla quæ turbulentis hominibus possent esse vsui, preter mentem nostram, & contra communem vtilitatē iudicauimus. Nulla enim in mundo gens ita tenax est eorum, quæ à maioribus su-

G 2

is in

rogatus fuerat, die quinta & Vigesima Mensis
Maij medius & inter Petrum Kmitham & Spit-
konem Palatinos quam amplissimè illam supremo
die Cracouia Vilnam extulit, multisq; ornamen-
tis mortuam decorauit. Tanta vero obseruantia fu-
neris in proficiscendo fuit, vt Rex nusquam à lo-
culo discederet, semperq; præeuntem sequeretur,
tristis & si quem in vicum aut in oppidum fuerat
uentum, de equo descenderet, ac funus pedes comi-
taretur mæstus, nec vilo ab hoc officio impeditus est
imbri, deniq; summa mæsticia, magno comitatu, piè
religioseq; in Lituaniam funus deportauit, ac Vilnae
in æde S. Stanislai apud paternos illius manes vxo-
rem humauit, Insigne est documentum Regibus
hæc mulier, & quam deceat eos pro rebus caducis
æternas subire offensas, Quamto enim conatu hanc
vxorè retinuerit Rex supra est offensum, tanto tamen
certamine rem expetitam vna illi eripuit dies, mul-
to seminario dissensionum in Polonia relicto.

Hoc anno Helias, maioris Daciae Walachi-
am nunc vocant, Palatinus Petri filius, à Christo
D. defecerat, & ad Mahometum impium tran-
sierat, cum enim is nihil sibi tutum in Dacia, re-
liquisset, quod multos de Primoribus Dacum
interfecerat, multos extorres fecerat, tam manes
mortuorum, quam minas viuorum trepidus pa-
uebat, Et cum cruciatu timoris angeretur, accer-
suum se à Solymano Turcarum Tyranno simular,
nihil

nihil illi quid mente agitare communicans, con-
uafataque omni paterna gaza, simulatione officij
Constantinopolin ad Tyrannum proficiscitur,
Dacia Stephano minori fratri relicta. Exceptus
a Solymano Helias benigne fuit, & cum aduen-
tus sui causas quas initio dissimulauerat edidisset,
Solimanus hominis aduentu gauissus est quod an-
te eam diem tam clari nominis Princeps nemo
erat qui sponte à Christo deficeret, ac vltro no-
men Mahometo daret, ita circumduci illum per
aulam frequentem iubet, ac palam ad ludibrium
Christi ostentari, ad extremum de Tyranni atrio
inter duos Bassas, qui illius latera tegebant, prodit
ac aula in media ingenti gratulatione militum
Christi nomen deponit, & Mahometi assumit,
pro Heliaq; Mahometes acclamatione militari salu-
tatur, Et ne videretur Turcis esse suspensæ dubia-
que fidei crucem ligneam pedibus subiectam ter
inspuit, ac totidem vicibus conculcaram, pede ab
se vt execrabilem, remouit, Dicitur abiurato
Christo cum in cubiculum concessisset, secreto se
se afflictasse effuseque in occulto fleuisse, Id ego
factum credo quomodo enim ille in tam immani
scelere poterat obliuisci paternam hanc quam pro-
debat fidem esse, Iam conscientia irrequieta, qui-
bus tandem vulneribus non cruentabat hominis
impj mentem, quæ tanto cæcata scelere, cum ad
omnes stimulos obduruisset, præcipitem illum
eriat

etiam reluctante agebat in omnem vecordiam. Et quoniam Helias vltro Solimano sese dederat ideo Sahmate honorem ab illo perfidiæ præmium tulit, Qui honos vt meritò ad illum delatus videretur, comparato ex Scythicis militibus exercitu, perfugam ducem nactus cui Mormura nomen fuit, cum inuitatis itineribus exploratores elusisset, Bra
rissauiam opressit. Erant in eo oppido fortissimi veterani, qui hostem prius visum quàm auditum in manibus cum haberet, trepidi ad arma discurrent, ac irruentes agmine scythas intra vallum sustinent. Postremo multa cæde vtrinque edita, vt pauci à multis ita imparati à paratis victi ad vnum cæsiq; omnes sunt. Oppidum etiam ad solum à scythis exustum est. Graue monumentum ignauia nostræ. Magnam enim calamitatem incuria nostra hoc anno Polonia accepit, non tam oppidi, quod iam à Sigismundo Augusto instauratum est, quàm militum, quibus non facile Resp. cito habebit pares, erant enim illi viri strenui, & militia ac magnis victorijs scythicis clari tantumque vsus rei militaris habuisse putabantur, vt singulis singulos exercitus maximis bellis tuto commiteres, Scythæ oppido potiti, partaque victoria læti. Erat enim Russia absque præsidio, Rex etiam in Lituania aberat, qui præsens contra illam incursionem subitam subsidio fuisset, & nisi sapiens vir ad coniecturam rerum futurarum Spitko Iordan de Zakliczyno Regni
quæstor

quæstor, Ioannis Tarnouj Castellani hortatu mutuas pecunias in rem militarem sumsisset, hocque stipendio exercitum ex obujs militibus conduxisset, scythæ victoria impulsu geminassent cladem, ac longius progressi eandem hanc iterassent. Hoc principium perfidiæ in Mahometis sectam concidens Helias, nostro malo, dedit, quod tamen non diu ille tulit impune. Nam cum suspecta in Mahometen Solimano illius esset fides, sublatus breui de medio ita est Constantinopoli vt illius neque viui, neque mortui index esset. Ad hunc modum Polonia hoc anno vexabatur, tam domi quàm foris, Ad hæc mala accesserat fæda etiam fames, quæ multos mortales in Polonia & Lituania absumpsit, tantaque fuit annonæ caritas, vt modius filiginis Cracouia ad tres florenos perueniret. Eodem anno Andreas Gorkanus Posnaniensis Castellanus ac maioris Poloniae Præfectus, Octobri mense Posnaniæ moritur, vir memorabilis, in quo multa naturæ bonæ gloriæ splendor æquauit. Huius familia antiquitè Equestris fuit, Vrielle autore, qui primus in eam familiam Posnaniensem Epitum intulit, inter patricias gentes relata magno rerum successu creuit. Cum enim Vriel Epus Lucæ fratrem Episcopali pecunia auxisset, facile illius ad Posnaniensem Palatinum adiuuu petitionem. Huic eiusdem nominis Lucas nascitur filius, Andreas pater, qui paternos honores adeptus auxerat patrias opes, mira benignitate

fortuna. Tum enim è Schamotulana familia nobili & patricia, vnicam Polnaniènt Palatini filiam vxorem duxisset: vnam fecit ex duabus domum, Schamotulanumq; iu Gorkanum cum omni re & nomine infudit genus. Et cum ille solertia adiuuaret fortunam, augebat rem cum honesta rei familiaris cura, tum Andrea filij nuptijs, cum quo vnicam natam Kurozuãtj, magni patrimonij hæredem collocauerat. Et cum studium in illo augetur habendi, vxore defuncta, Episcopus Cuiuientis, à Sigismundo Rege factus, ingenti pecunia, & patris & patruj, & filij, & suas pristinas opes cumulauerat quas decedens Andrea filio reliquit, qui scienter & moderatè ijs vsus, magno ornamento Poloniae fuit, patriq; in Polnaniènt: Castellaturo, & maioris Poloniae Præfectura succedens, illum orbem Senatorium absoluit, sine quo nemo in Repub: vir magnus habendus est. Fuit enim primo Vir sapiens, post patriæ amans, tum eloquens, Postremo diues, ob quas res elucebat in omni illius priuata & publica vita decus, honestas, laus, atq; dignitas. Huc accedebat facillè popolare studium, non solum priuatis beneficijs, sed publicis etiam largitionibus collectum, quibus ille rebus ad omnem oportunitatem gloriæ, domi & foris hominum voluntates adiunctas habebat. nam & apud externos gratia, & apud suos sententia plurimum potuit, adeò vt nouis rebus studuisse crederetur.

retur. Statura fuit mediocri, forma apra & temperata, & in omni ætatis gradu venusta erat, colore candido, vultu tranquillo & blando, oculos habuit cæcios, in quibus tamen inerat quidam Senatorius vigor, caput tondebat, submirtebat barbam, quam cani condecorabant multi, vestitu atq; omni cultu elegans & concinnus fuit, vt nullius lenocinij in habitu, qui quidem viro videretur dignus negligens esset, studia liberalia exercuit cupide, ingeniosos ac doctos, militares etiam viros, omnibus modis fouit, deniq; ambitione, libertate & splendore vitæ Senatoriæ cæteris antecessit. Moritur anno ætatis, plus min⁹ quinquagesimo, multò sui desiderio in Põlã relicto. Reliquit tres filios, Lucã Andrea & Stanislã, omnes Ephæbos, quorũ adulescẽtiæ pro spe de illius cõcepta, ne quid officiat rerũ copia, optadũ est. In demortui locũ, Rex, Petrũ Czarnkouium Polnã: Castellã, Ioannẽ vero Koscieleciũ maioris Poloniae Præfectum suffecit.

Esti initio suscepti operis animus nõ erat, res æternas scribere cũ ad domesticas vires nõ sufficiant, tamen cũ se in cursu offerãt, quæ Poloniã attingunt illa quoq; prætereunda nõ sunt, cuiusmodi est crudelis, atq; miserabilis mors Georgij Varadiensis Episcopi, vrbis Romæ Cardinalis ac Vngariæ Quæstoris, quæ vulgo Thesaurariũ vocãt, qui obscuro ort⁹ loco, magnã ætatis partẽ in familia Diui Pauli Eremitæ transegerat, vnde ad maiora rerũ initia ducentibus fatis egressus, in Regia Ioãnis maximas res quæ-

res quæstor administravit, cui tantam fidem rerum omnium. Rex ille habebat. vt moriens, & Isabellam vxorem & Ioannem Sigismundum filium illius mandaret, ac committeret fidei, quorum impense curam ille gesserat, perfeceratq; vt inter Solimani & Ferdinandi arma positus, magnam partem in Vngaria tot cladibus direpta, atq; dissipata Ioannis filio vxoriq; illius conseruaret, ac proditoris nomen obfidem ferret, quod duobus infestissimis in terse hostibus Solimano & Ferdinando, dum fidem mortuo Regi præstaret, modo huic modo illi deditum se esse simulauerat, Cum vtriq; etiam capitalis hostis esset. nihil nisi vxorem & filium defuncti Regis ad suam fidem pertinere existimans Quos dum tuerur; fallere promissis Ferdinandum, eludere autem doles Solimanum ius esse fasq; putabat. Quare, mirum dictu est pro fide Ioanni Regi data, qua arte vtrumq; tractauerit, & prout res se daret modo harum modo illarum esset partium quæ illius ars in fallendo incredibilis quæ esset efficax, tunc potissimum apparuit cum Ferdinandus Budam inclusam Isabellam cum filio annum circumsideret. Cum enim Georgio vna inclusus vim Ferdinandi non ferret, frustra q; fidem Sigismundi Poloniae Regis Isabellæ patris imploraret ad Solimanum Turcæ receptum habuit, quæ æquis & iniquis conditionibus sibi conciliatæ ac magnis pollicitationibus ad auxilium ferendum impellit, cuius aduentu exteriti Germani obsidionem

dimit-

dimitunt, & à Buda discedunt, quorum discessu Reginam quidem Georgius & Regulum oppugnatione liberauerat, sed Budam cum reliqua Vngaria amiserat, Solimanus enim cum nullum præmium nisi Budam pro liberata Regina cuperet, eius portunda hanc rationem instituit. Filium Ioannis pro hospitio & amicitia patris ad se in castra afferri, ac vna cum illo Senatores Regni, adesse iubet, vt in exercitu Victore ac illius seruatore incolumitatem gratularentur præsentem: Mater misera ac luctu perditam frustra diu Vngaris aduersata, tandem atrocitate temporis coacta, filium Tyrano, quem videlicet lupo per Georgium in Castra mittit veritate illi negaret, quod mox ille auferret. Georgius ac cæteris Senatores, qui propter ætatem pueri, in procuratione erant Regni, magnam & operam munus ad Tyrannum deferunt, Regulumq; Paruulum nutricis de sinu depromptum in manus Solimano tradunt, quæ ille obuijs vlnis amplexus iustis omnibus de Tabernaculo excedere, cum nutrice multa familiaribus, quæ Tyrannum decuit, de rebus Regine communicasse dicitur. A colloquio, nutrice saluo præter spem puero, per causam honoris Præfectum Ianitorum. Agam Turcæ vocat, reducere in urbem imperat, retentis Senatoribus in Castris, quos Regulum ex urbe in Castra suum secutos demonstratum est quorum vnus Valerius Turcus, qui longe omnes Vngaros belli gloria & virtute superabat, in Turciam erat deportatus, ibiq; annis

annis aliquot post in vinculis fuerat verberibus, (vt fertur) necatus. Aga vti erat imperatum cum Ianicerorū manu filium ad mæstam & pavidam matrem defert, quæ iam conclamauerat, nihilq; minus quā filiū reducē à Tyranno expectauerat, Aga in transitu quo ibat urbem præfidijs occupat ac magno beneficio viuum patri filium reddit, at illi confestim vt Vrbe excederet Solimani verbis imperat. quod hæc illā contra vim Ferdinandi nō posset tueri, Solimanū autē pupilli tutorē suū munus arbitrari, pro fide data patri, nō solum Budam, sed cunctam Vngariam integram pupillo præstare debere, Regina vt iussa fuit Buda excedit ac Lippā proficiscitur. His dolis bonus ille tutor Budam suam fecit ac ita perpetuo habent successum doli. Georgius enim quibus artibus Budam seruare volebat, ipsam illam amisit, nec tantum Vngariam sed cæteras quoque nostras Prouincias possedit. Verumenimuerò capta Buda Solimanus cum in possessionem Vngariæ venisset, nec de ea pupillo cederet, Georgius pænitiētia facti versare se ac Cōsilia inire cepit, quo Solimano pulso Vngariam de integro recuperaret, Itaque reperit Ferdinandi gratiā, ac parua venia cū illo inire consilia, cōspirat, ac huc euadit, vt Isabella Regina Diadema Regni Ferdinando traderet, Vngaria cū filio excederet, ac Ferdinando possessionib; filij paternis, quæ amplissimæ fuerunt cederet, pro quibus ac pro dote sua Opolensem ducatum à Ferdinando caperet, Quibus

bus de rebus cum ita conuenisset, data vtrinq; fide Isabella cum filio ex Transiluania Cassouiam proficisciretur, vt quemadmodum conuenerat pactis conuentisq; staret. Quod & facit nam Cassouia Georgio præsentē & Diadema Ioāni Baptistæ Ferdinandi exercitus Præfecto tradit & Vngaria cedit ac inde in Poloniam vt Opolium mature perueniat ad Sigismundum Augustum fratrem parat proficisci. At Georgius cum videret hæc quoq; vice spe sua se lapsum esse, Ferdinandumq; nec pactis stare neq; exercitus pro eo ac promiserat in Vngariam contra Solimanum mittere, & cum collegā quoq; Ioannem Baptistam Gastaldum sibi in exercitu æquari moleste ferret, redit ad ingenium & ad extremum vertit omnia, iterum receptum habet ad Solimani gratiam, quem aduersus Ferdinandum de integro, magnis iacturis & pollicitationibus impellit, consilia Ferdinandi aperit, ac veniam præteritorum perit. Deprehensus coniecturis primo Georgius, deinde literis est quæ interceptæ ad Italum collegam deferuntur, qui apud Vnitium cum Georgio in exercitu pari potestate fuit. Oppidū hoc ab Alba Iulia in Transiluania miliari abest, Italus re cognita ac bene dissimulata Ferdinandū certiorē facit, quanto in discrimine res sit, docet. Ferdinandus suis rebus timens, dat Ioāni Baptistæ negotium Georgij silentio interficiendi, qui astu par Vngaro, Tres Hispanos promptissimū ad tale facinus

facinus patrandum genus, ad interficiendum Georgiū clam mittit, ab his liberaliter Georgius appellatus, & illa non insolita Hispanis reuerentia productus, in cubiculo interficitur, post à ceruice caput abscinditur, ac Ferdinando refertur, reliquum corpus ferro laceratum inibi abiicitur, ac aliquot diebus in humatum negligitur. Cubicularij duo arma expedientes, pro domino vulneribus tardantur. Milites ne quam vim facerent, re insperata occupantur, ac præsidio ab Italo prohibentur, qui interea dum noxtransigitur, edito signo, quod conuenerat, tormenti intus editæ glandis paratus cum cohortibus ad subsidium erat. Hic exitus illius viri fuit, quem fortuna ex humili loco ad Regium panè fastigium, cum prouexisset, hoc anno ante Christi natalē, grauissimo casu confictum, subito ex summo honoris & potentia gradu deiecit, cunctis seculis documento summis & infimis futurus, quam ipsa se detegat, atque impediatur fraus, & quā se illa suis induat & capiat laqueis, cum hoc tamen viro amissa Vngariæ recuperandæ spes est, quod Principibus de medio sublatis, nemo vir in Vngaria refter, nomine & meritis grauis, cum quo se reliquum vulgus ad auxilium & ad spem futuri temporis congreget. Hæc domi & foris gesta eo anno sunt.



ANNA-

ANNALIS QVINTVS.

I Am Comitiorum tempus appetebat, cum Rex ad Calendas Februarij Vilna pro eo ac dixerat Petricouiam aduentaret, non ignarus quantum turbarum, se absente in Regno sibi contractum esset, Prouidebat igitur animo, qui Comitiorum motus se excepturi essent, quod omnibus Conuentibus per omnes Regni Prouincias Equites Polonos acerbissima postulara edidisse cognouerat, Itaque Petricouiam venit, eodem ad dictum Senatores Legatq; veniunt, summa expectatio erat, quarum nam partium in distracto Regno futurus esset Rex, Erant solliciti Pontifices de iurisdictione, Equites vero de libertate, ad quamcunque partem Rex accessisset, eam cum detrimento alterius partis victorem fore. Pontifices pierate, Equites libertate fidebant, quorum vtriq; sibi cum moribus, tū legibus cautū putabant. Taliter incensus animis amplissimorum ordinum Rex Comitia auspicatur, sacrificiumq; pro salute & concordia Regni de more Pontifices habere imperat, Hi Abbati Vitouienē rem diuinam iubēt facere, qui frequenti ac pleno templo die Purificationis Mariæ coram Rege Sacrificauit. Quoquidem tempore apparuit, quā Sacrosanctæ etiam res vilescant ipsorū hominum contemptu, cum enim pro more & religione veteri,

H

verum

verū integrumq; Christi corpus in Sacrificio Ab-
has atroleret, ad illudq; sublatum Rex cum Senatu,
& cum cætera turba venerabundus procumberet,
complures palam obuertebant ora. Raphael certè
Lesczynski, qui proximis Comitij Brzestē. Pala-
tinatum deposuerat, per summum diuini Sacra-
menti contemptū steterat ante Regē pileatus. Quæ
res offenderat multos, querebanturq; vulgo homi-
nes in conspectu omnium Magistratum Regni nu-
men violari, ac contaminari diuinum. Rex in
hunc modum auspicatus in concilio per Ioannem
Oczieski Cancellarium proponit, quibus causis
adductis Comitia indixerit, demonstrat vicinos Scy-
thas Turcas, ac Dacos aduersus quos nudatum esse
præsidijs Regnum docet, Bratislauia quoq; com-
memorat, cuius exusti ignominiam deprecatus, in
dissensionem publicam ciuilem culpam confert, de-
nique hanc iubet deliberationem esse, quo aduer-
sus vim & incursiones hostium Regnū tutari pos-
set. Secundū hoc propositum Legati deliberent,
ac in communes consulant. Qui sumto ad delibe-
randum spatio statuunt, non minus de externis ho-
stibus propulsandis quam de domesticis motibus
sedandis agendum esse. Quare de domesticis rebus
prius cum Rege agendum esse quam de vilis exter-
nis. Et quoniam post Poloniam conditam grauif-
sima illa causa fuit, qua amplissimi ordinis Maie-
stas conuellebatur, quo maiorē autoritatē res habe-
ret, com-

ret, cōmuni legatorū sententia Raphael Lesczyn-
ski, illi causæ patronus deligitur, qui quod preter
aliorum morem legibus parens è Senatorio ordine
ad Equestrem redierat, opinionē virtutis habebat,
ac preter cæteros amans patriæ, & vir bonus fere-
batur esse, qui de scripto, (vt erat in Consilio Lega-
torum, deliberatū) id mandantibus cunctis, orat,
obtestaturq; Regem, vellet meminisse, suæ fidei Re-
gnum commissum esse. Cuius à Magnatibus cum
violaretur libertas debere illum pro sua salute post
ponere, res omnes, Non vim externam Polonis
metuendam esse, sed intus inclusum malum esse,
quod in ipsi Reipub. hareret visceribus, quod à Re-
ge neglectum virescumeret, ac libertatē communi
violata, multos Tyrannos pro vno Rege in Polo-
nia institueret, qui audacia & impunitate subnixi
Regiam potestatem sibi arrogarent. Intermittendā
ergo esse omnem de alijs rebus deliberationem,
huc vero incumbendum, quo ex autoritate, male-
ficium domesticum cum vestigio, quam primum
tollatur. Et quoniā magnā autoritatē ad dicēdum
attulerat, audientiāq; sibi re noua & inuicta cō-
pararet multa animosè & acerbè descripto magna
orationis libertate pronunciat, Nos te Auguste
Rex, liberis suffragijs Regem creauimus, tuæ fi-
dei quicquid diuini & humani iuris erat in Po-
lonia mandauimus, tuæ ditioni potestatique Re-
giæ, vitam existimationem fortunaque subiecimus

nostras. Huius potestatis Regiæ, nullum mortali-
um te habere socium voluimus, neq; adeo volu-
mus idq; te autore & Duce perficiemus, Cum
hac spe & fiducia missi à fratribus nostris, huc adue-
nimus, vt Regiã tuã potestatem integram nobis
præstes cum nemine communicam. Et vt ma-
gnacum potestas ex autoritate publica intra suos fi-
nes, per te his Comitib; redigatur, reprimaturque
quæ ad salutem hominum & ad conseruationem in-
stituta subito se ad eius pestem perniciemq; conuer-
tit. Hæc summa legationis nostræ est, vt tibi soli
pareant Poloni, præterea nemini, hæc mandata no-
bis exhaurienda sunt, priusquam vllam aliam
Reipub. partem attingamus.

Eadem Tarnouius pro salute populi, minime
populariter agebat, erat em̄ hic vir, re magis, quam
ostentatione popularis, raro aliquid coronæ ille da-
bat, auræq; populari, spectabatq; non hoc quod
populus probabat, sed quod populo vtile erat,
malebatq; de populi fauore periclitari, quam se-
cunda illius fama, rem male populi gerere, ideo a-
lienus ab omni simulatione ostentationeq; sapè pro
re populi, contra ipsum populum sensit ac dixit.
Multa sunt huius rei exēpla in vtramq; partē, sed
memoriæ causa vno & altero erimus contenti. In
expeditione apud Leopolin, contra Dacos, incre-
dibili tumultu res exarserat, aduersus Sigismun-
dum Regem, ita vt illum equites propemodum ex-
autorarent

autorarent, quam rē cum pestiferã Regnō futurã,
Tarnouius videret, sic pugnauit, sic multitudinē à
quibusdam concitæ restitit, vt illius temporis solus
procellam sustineret, magno cum periculo, cum em̄
vehementius equitibus resisteret, infestoq; armatis
campo, ingenti animo, nō tam Regis, quam Regni
cautam ageret, minimum abfuit, quin periret con-
cursu, & indignatione, turbæ militaris. Consumile
exemplum, idem edidit, virtutis & constantiæ in
Sigismundo Augusto Rege, Huic enim cum multi-
tudo, ob vxorē irata omnem vim ac potestatem Re-
giam adimeret, vt supra demonstratum est, impetū
illum multitudinis, summa cum inuidia sustinuit, nō
vxorē quam illo infcio Rex duxerat, sed ipsum tu-
tatus Regnū, quod corruere bello ciuili fuerat ne-
cesse, Si ille tum multitudinē laxaret habenas, ac
pro multitudine contra tenacem Propositi Regem
stetisset, ita hic dum multitudinem seruabat, fauorē
multitudinis cū vitæ iactura repudiabat, At vicis-
sim cum res poscebat stabat cum populo, nulliq; ad
gratiam cuiusq; seruato receptu sic populum defendit,
vt nihil aliud quã populi causã nosse videretur.
Quod vel inprimis, in hac causã acciderat in qua
Populus Polonus cū Episcopis de libertate & reli-
gione duob; R. P. fundamentis his Comitib; certa-
bat, Insigne optimatib; exēplū, vt nō simulatione
neq; gloriæ ostentatione, fictoq; sermone atq; vultu,
sed veritate, fide, iusticia, atq; vtilitate sese multitu-
dini

dini venditent, vt pro re communi modo cupide progredientem populum comprimat, modo timide regredientem quasi classico ad officium reuocent, ne videlicet populus aut superbia obedientiam excutiat, aut humilitate iniuriæ succumbat.

Cum asperè & acerbè à patribus & à legatis Episcopi vexarentur, vehementer illos iudiciorum pænitebat, aliter enim quam sperarant euenire videbant, Solus tamen Ioannes Drohoiowski Cuiuuiens; Episcopus splendebat aliorum Pontificum contumelia. hic enim in Petricouien; concilio de quo ante dictum est, solus inter Episcopos mitius agendum esse cum Equitibus Polonis, & ab illis tam atrocibus iudicijs, quorum tum inibatur ratio abstinendum censuerat. Cuius facti causa multi illi honores ab Equitibus Polonis habiti, gratiaque illi sunt actæ quod ratione duxerit eius ordinis, vnde & ipse erat ortus. Cæteri Pontifices lacerabantur passim conuicijs, inprimis autem ipse Ioannes Dziaduski Præmissien; Epûs, cui Ioanes Tarnouis salutandi causa se adeunti domi suæ, nõ vt Senatori & amico, sed vt hosti & priuato dextram porrexit, grauitereq; illũ pro palam increpauit, quod in Præmissien; Diocæsi hominib; liberis seruitutẽ, probis infamiã, ingenuis exitũ inferret, idq; solutius faceret, quàm parẽ eũ cæteris deceret. Epûs meritis pulsatus cõuicijs, directo ad Nicolaũ Dirgouiu Archiepũm rēdit, qui interea sese domi cũ Episcopis colle-

lege-

legerat, quæritur, quàm indigne à Ioanne Tarnouio fuerit habitus, & addidit sese indigna hæc vnũ, pro omnib; pati. Cui Archiepûs cõmotus: Tu pro nobis pateris hæc? qui tãtum malorum nobis pepereris, vnde hæc in nos ortæ sunt turbæ?

Dum hæc aguntur Stanisslaus Orichouius Rutenus certior factus, Ioannẽ Præmissien; Epũm iudiciorum publicè Petricouia dare pænas, & cum illo vna cæteros in summa inuidia esse Epõs, occasionem rei benè gerendæ dari sibi ratus, non dimisit tempus, præsensq; Eporũ odium, ad suam salutem conuertit, profectioeq; Petricouia instituit, & vt præsentis animo, & ad agendum parato Episcopi illum scirent venire, literas præmittit ad Episcopos libere scriptas, quibus quam inique circumuentus fuerit à Præmissien; Episcopo, conqueritur, tum testatur, se nisi coactum ab Episcopis ad illorum aduersarios non transiturum. Has ille literas in hæc sententiam latine conscripserat Petricouia præmittit, ipse paucis interpositis dieb; cõsequitur, Sed eũ profectioẽ illius multa teneret, impeditũq; infidijs illi ter esset, Herbultis se cõiungit, quorũ egregiã fidẽ ac singularẽ in se voluntatẽ omnib; periculis cognouerat. Fuerunt autẽ hi, Stanisslaus Castellanus, Ioanes Subcamerarius Leopoliens; Valentin; itẽ Crac. Canonicus & Nicolaus fratres. Cum n̄s aderant, & alij cõplures Nobiles viri, qui iter Petricouia ad Conuentum habebãt, Horum præsidio cõtra ocultam Præmissien; Episcopi vim

H 4

fretus

fretus Orichouius, cum Ioanne patruale fidò fratre pauitans, ac in fidias vitans Petricouiam proficiscitur, hoc consilio, vt aut ab Episcopis infamia iudicij leuaretur, aut omnia postrema coram Rege in Comitij experiretur. Suleiouiū Oppidū Petricouiae vicinū vbi est ventum de amicorum sententia flectit iter Wolborium, & ad Ioannem Drohoiowski consobrinum, Cuius Episcopū diuertit, ad quem Petricouiam scribit certioremq; illum de suo aduentu facit, orat ac petit quo pro necessitudine & cognatione periclitantem exciperet, auxiliūq; & consilio in tam necessario tempore iuaret, Herbultos etiam ad Petrum Kmitham Crae. Palatinum ablegat, quod cum illo Herbultorum fuerat nupta soror literasq; ad illum dat suppliciter scriptas. Res illo percubuerat, ac sermo manauerat, Orichouium adesse, materiamq; praesenti turbæ non modicam afferre. Agitant rem inter legatos Petrus Boratinski, Hieronymus Ossolynski, Ioannes Pieniasko & Adam Siemulzowski, qui causam sua sponte incensam inter legatos vehementius inflammant. Interim cum Ioanni Drohoiowski Epō satis iam calere videretur res, Nicolaum Dirgouium Archiepiscopum adit, ac illi Orichouium suo iussu Wolborium ad se deuertisse nunciat, hoc consilio, nequid de improviso ille adueniens de integro ad turbas adderet. Archiepiscopus collaudato Drohoioui Episcopo, iubet

iubet vt comiter Orichouium apud se habeat & Petricouiam accersat. Facta potestate Orichouius accersitur ac fraterne ab Ioanne Drohoioui excipitur Cui Archiepiscopus de Consilij sententia fidem publicam vitro per Ioannem Drohoiouiū in scripto miserat, manendi Petricouiae & res libere agendi, quoad Archiepiscopus aliter censuisset. Hanc fidem Stanislaus Orichouius veritus primo omnium existimationis iacturam, deinde ne quā opinionem timoris, illa recipienda daret, per Ioannem fratrem patruelm, & per Ioannem Pieniaskonem Archiepiscopo remisit, cum his mandatis se innocentia fretum Petricouiam venisse, nihilque commississe, quo vel magistratus reformidaret, vel illorum iudicia horreret. Hæc fides cum mandatis Archiepiscopo in Episcoporum carū redditur, quoquidem tēpore Andreas Zebrzydoui Crae. Episcopus, quem sibi antea per literas Orichouius conciliauerat, causam Orichouij diligenter egit, monuitq; Episcopos multis collectis exemplis, ne Orichouium supplicem suum a pernarentur. Cōmemorauit etiam quanto detrimento ordini esset futurus, si ille ad aduertarios cum illa transfiret causa, Qua oratione permoti erant Episcopi, trasegissetq; eo die Zebrzydoui, nisi ex minoribus Sacerdotibus quidam factum impedissent ac indignū facinus apud Archiepiscopum conclamassent cælibatū Orichouij causa tolli, ac magnam fenestram

stram ad licentiam aperiri, dum despecta potestate ordinaria ingrederetur vitæ viam quam quisque vellet. Huius modi sententijs impræita & extracta res illi fuit. Orichouius vbi videt de iudicio Præmissiën. Episcopi, nihil mutari, sed omnes sacerdotes ad suam instructos esse perniciem, cum frequentibus amicis, Inprimis autem cum Ioanne Cusauieñ. Episcopo Ioannem Tarnouium adit, cui causam & calamitatem proponit, ac se in Polonia deteriore conditione quam nocturni essent fures apud illum conqueritur, quorum nemo indemnatus daret pænas, se impetrare ab Episcopis non potuisse vt sibi lege condemnato interire liceret, non se veniam delicto orare vllam, sed iusticiam ac iudicium, vt si quo vxore ducta, se obstrinxisset scelere, eas pænas in legitimo iudicio daret, quas leges iuberent. Orat ac obsecrat Ioannē Tarnouium vt pro sua iusticia atq; clementia illum in fidem ac clientelam suam contra vim Episcoporum acceptum tegat. Tarnouius bono animo hominem iubet esse, ac desperare vetat, ac plenum spe ab se dimittit. Ipse ad captum certamen redit, qui cum totus mente & animo in Episcopos instaret Andreas Zebrzydouius Cracouieñ. Episcopus in iurgio quærebatur ab illo. Quo ergo, inquit loco Tarnouie in Polonia fuero, si de hæresi Episcopus non iudicauero, Præconisnè, an verò Episcopi, Cui Tarnouius æquius vero fieret Andrea

Andrea Zebrzydouie te præconem in Polonia fore, quam me seruum. Hanc tantam Ioannis Tarnouij in agendo vim & constantiam adiuuabant multi, Primores patrum in ijs Ioannes Latalicius Posnanieñ. Palatinus Senex & magnæ in Senatu autoritatis, Et cum multa ad eam sententiam dixisset, illud etiam magna autoritate addidit. Venerat inquit proximis Comitijs ad te questum Stanislaus Orichouius, tria vix protulerat verba, eum obmutescere cogere, quo quid calamitosius dici potest, quã tuo subdito causã apud te Regē in calamitate proloqui nō licere. Hęc nō sunt Poloni moris Serenissime Rex, neq; sunt veteres administrandi Regni Poloniae artes, sed sunt Italicarum versutiarum & externæ calliditatis. Polonis Rex iuris & iudiciorum æqualitate est constitutus, vt omnes ex æquo audiat & causa cognita in legitimo iudicio, vel condemnet vel absoluat, Et cum pares sint vna lege & communi Rege nobiscum hoc tamen plus sibi sumunt, vt paribus dominari Regnumq; in nobis cupiunt obtinere, quæ res cū libertatem & societatem Regni tollat, prouidere debes vt ne quem socium iuris tui Regij habeas, neq; potestatem tuam Regiam, cum aliquo communices, vt tibi præfidi atq; Regi æqualiter omnes subiecti simus, qui non solum finibus, sed etiam legibus eisdem in Polonia continemur.

Ep̃i cū se clarissimorū virorū autoritatib⁹ acerrime premi

premi viderent, varia consilia tuendæ dignitatis in-
 ibant, quæ illa contentione admodum imminueba-
 tur. Itaq; solitudine ac formidine pleni, neq; reti-
 nendæ, neque amittendæ iurisdictionis facultatem
 habebant. In qua illarum trepidatione Andreas Ze-
 brzydovius Crac: Episcopus causam habuit, non
 iam ad hortandos, sed ad obiurgandos liberius
 Epôs, quod Stanislauum Orichouum, subsidio
 de industria aduersarijs traderent, qui calamitate
 sua incitamento esset Senatui. Populoq; Polono
 ad oppugnandam Pontificiam dignitatem. Quare
 censuit Orichouium quamprimum recipiendum,
 quod nisi facerent, serò illos ac nequicquam postea
 recepturos. Magnum pondus habebat Zebrzy-
 doui apud Episcopos oratio, peropportune enim
 afferebat congruebatq; cum tempore & cum re i-
 ipsa, Quam consecuta Petri Kmithæ autoritas, per-
 pulit tandem Episcopos Orichouio æquiores esse
 qui partim infra clementia partim Herbultorum
 precibus adductus, quos ad illum vt supra docui-
 mus Orichouius ablegauerat, quantum conuicti
 autoritate potuit, tantum apud Archiepiscopum
 oblitus offensionum contendit, ac illum monuit
 ne Orichouij vxore Remp. perturbari, ac sacerdo-
 talem ordinem periclitari vellet, se inuito vidisse,
 quas turbas datura esset. vxor Orichouij, ideo man-
 suetè cum illo in Præfectura sua egisse, neq; delati-
 oni Episcopali paruisse, neque pro edicto Regio
 pænas

pænas ab Orichouio exegisse, partim quod homi-
 nem ob matrimonium interficere, cuius nullum
 aliud facinus esset, crudele putaret, partim quod il-
 lum Reipub. conseruare, humanum factum cense-
 ret. Idem ergo faciendum Archiepiscopo suade-
 bat, fore id illi vtile, cum ad multos Ecclesiæ vsus:
 tum vero ad præsentis Regni motus, componen-
 dos. Hæc pro Orichouio vir clemens in afflictos,
 & misericors in supplices magno conatu agebat
 Kmitha. Et quoniam his Comitijs ille pro Episco-
 pis contra hæreticos acerrime senserat, Ideo illius
 pro Orichouio, plurimum apud Episcopos valuit
 autoritas, Itaq; cū & Andreas Zebrzydovius pro
 Orichouio laboraret, & autoritas Petri Kmithæ,
 eodem accederet, datur in Concilio causa Ioanni
 Drohoioui Episcopo Orichouium reuocandi, &
 in Concilium conducendi. Et quamuis ille post tot
 frustra tentatos aditus, obfirmasset ad Episcopos
 non reuerti, tamen Ioannis Drohoiowski conso-
 brini sui suasu, in Gnesneñ. Archiepiscopi fidem
 redierat. Itaq; die præstituta frequenti concilio in
 Cærum Episcoporum Orichouius venit, ac pote-
 state dicendi facta, cum multa de sua erga Roma-
 num Pontificem obseruantia disseruisset, Confessi-
 onem fidei edidit, in qua quam piè Deum coleret,
 & qua fide erga Romanam Ecclesiam esset, articu-
 latim descripserat. Attentè auditus Orichouius,
 vehementer placebat Episcopis quod in tanta atro-
 citate

citate temporis, perturbationeque religionis, optimo exemplo sese submitteret Pontificiæ potestati. Et cum ille spe sua maiorem benevolentiam Episcoporum sibi conciliasset in crastinum fuerat reiectus. Interea loci Archiepiscopus in Concilio Episcoporum deliberat ac culpam Orichouij cum pœna Episcopi comparat, multis partibus visa est pœna culpam excedere, præterea Confessio ab illo edita relegitur, diligenterque ad Ecclesiæ normam, ab omnibus exigitur, nihil in ea alienum communi religione reperitur, vel ipso Ioanne Dziadusky Præmissiensi Episcopi teste, à quo querit Andreas Zebrzydoui quam tandè causam habuisset in iudicio, ad tam atrocem sententiã, uxorem respondit ille, Nihil ne præterea, Nihil vero ait Episcopus, Tum Zebrzydoui cum indigne factum quoque ferrent cæteri, At uxorem inquit Sacerdotem ducere culpa quidem est, sed hæresis non est. Neque ipsæ pœnis tibi Sacerdotem coniugem, quibus hæreticum hominem afficere licuit. Postremo cum nullum vestigium vllius sectæ in Confessione Orichouij appareret, Episcopi de Consilij sententiã, Orichouium absoluendum esse decernunt, ac illi in Concilio per Andream Zebrzydoui Episcopum benigne respondent, qui ut erat in dicendo copiosus sententiã dixit ornatissimis verbis, multa commemorans quæ in Orichouio fuerint bona, generis, ingenique ac doctri-

ac doctrinæ, quæ tanti Archiepiscopus cum Episcopis faceret, ut nollet pro suo iure cum illo agere quin vero illius audax facinus curaret in præsentia quo maximo posset remedio. Quoniam vero talium causarum ius summum cognoscendi penes Pontificem Romanum esset, hoc plus Archiepiscopum in præsentia, non posse, quam ut absolute illi spatium datur culpæ apud Romanum Pontificem, deprecandæ quod placeret fieri annum, Ipse ad Archiepiscopum mane adesset, postridie absoluendus, Pronunciata hæc est sententiã grauius ornatæ à Zebrzydoui, multo cum verborum honore, aderat Ioannes Dziaduski Episcopus Præmissiensi. ad quem omnium spectabant oculi, qua nam fronte ille ferret, atroces suas sententiã, in tam placida decreta ab Episcopis commutari. Postquam Orichouius secum præter spem agi videt, Archiepiscopo & cæteris Episcopis, quam maximas agit & habet gratias, sequitur illorum beneficij memoriam & gratum fore ostendit. ut in loco ab illis positum esse videatur, daturum se operam polliceretur, nominatim etiã culpam à Ioanne Dziaduski deprecatur, si quã in illum illo cõtentionis tẽpore admiserat. Qui tristis, capite dimisso. terram intuens nihil ad supplicem orationem Orichouij respondit sed in eadem tristitia permansit, siue quod dolorem & iracundiam silentio tegere, quã eloquio prodere malebat, siue quod tanto, sub oculos omnium accepto

autoritã-

autoritatis detrimento, pudorem fronte sustinere non poterat. Postero die mane uti erat pronunciatum, cum frequentibus amicis Orichouius Archiepiscopum adit, ac sese illi ad genua supplicum more, in corona submittit, quem Archiepiscopus lintea religiosaque veste indutus absoluit, & cætera perficit, quæ eius sunt moris. Denique hunc eundem reconciliatum iam Ecclesiæ, prandio adhibet, ac liberaliter habitum ab se dimittit. Aprandio Orichouius lætus rerum suarum insperato successu, ne ingratus videretur recenti beneficio, recta ad domum Petri Kmithæ cum Herbultis & alijs necessarijs suis pergit, quem vir mirificus Kmitha, frequenti domo est complexus. Cui Orichouius amplissimis verbis agit gratias quod adeo in vita fortunisque illius continens fuisset, ut cum iure posset, abstinuisset tamen ab illo, moramque elabendi ex tot laqueis, parcendo maximè illi dedisset. At extremum apud Archiepiscopum & apud cæteros Episcopos deprecator illius salutis fuisset, Confitebatur ergo coram, illius se beneficio vivere; daturumque operam pollicebatur, ut omni sua vita, uti æquum est, salutis suæ autorem Petrum Kmitham coleret. Dicebantur hæc in Conuentu ab Orichouio, non sine multorum qui aderant, & hæc audiebant, lacrymis, Memorabile exemplum omnibus, iniquis iudicij circumuentis proditum in Orichouio est ut non desperent inique

dam

damnati, semperque illud teneant, ac habeant in promptu, Non vidi iustum derelictum. Nemo patrum auroreque memoria in maiori periculo desperationeque salutis, quam Orichouius in Polonia fuit, & tamen tot malis iactatus seruante Deo, preter omnium spem ex magna iactatione in tranquillum portum fuerat ad extremum eiectus, magnoque rerum successu recuperabat pristinae vitæ decus. Nam cum Præmissien. Episcopus, non solum vita atque fortunis, sed etiam sacerdotio Orichouium exuisset, ut antea ostensum est, Archiepiscopus tamen perendie, quam absolutus erat, restituerat in ordinem Orichouium, ac inter Sacerdotes suo loco illum collocauerat, iusseratque deliberationi illi interesse, quæ inibat ratio, iuris sacerdotalis tuendi, quæ quanto, preter oprata Orichouij, & preter Episcopi iudicata acciderunt, tanto magis notatu, memoraturoque digna omnibus videri debent.

Cum magna vulgi inuidia arderent Pontifices, Nicolaus Archiepiscopus concilium aduocat, ac summo silentio clausa Archiepiscopali Curia deliberat, Ecquid nam de iurisdictione remitti, Equitibus Polonis posset, qui eo rem trahebant, ut nemo ob hæresin in Episcopali iudicio, reus, causam diceret, In qua quoniam vitæ atque existimationis contineretur certamen, Rex cum Senatu Comitij de illa cognosceret, pro his legibus,

quæ

quæ de Capite, Equitis Poloni solius Regis iudicium in Polonia iubent esse. Quæ leges cum legibus Pontificum aduersarentur, magna non duceptione solum, sed etiam altercatione, vtraque pars pro suo iure Comitibus diu multumque apud Regem contendit, Cum ergo Episcopi in consilio statuissent, omni ratione iurisdictionem tueri dant Andreae Zebrzydoui Cracouien. Episcopo negotium eius causæ apud Regem perorandæ, qui cum dignitate, atque ingenio præstaret, satis idoneus pro hominum studio illi causæ futurus videbatur Patronus. Qui dato Sacerdotibus ab Rege Senatu, primo conqueritur nouissima tempora quæ periculosa fore tanto ante vaticinatus erat Paulus, quæ eam vim haberent, vt religio quoque Christi hominum affligeretur malitia. Qua in re illud tamen molestissimum esset, quod ipsorum hominum odio, res etiam Sacrosanctæ, vna vilescerent, quibus rebus cum summa contineretur vitæ, dubium non esse, illis sublatis humanas quoque res dilabi atque tolli: Neque enim super esse spem vllam sublata religione, vltimum ius humanum, in Polonia mansurum; quod extinctis rebus Sacris, profanas quoque res extinguere sit necesse, Qui enim negligeret, Deum Sacrarum Rerum autorem, nunquam

idem

idem profanarum, Ducem reuerbitur Regem, neque illius iurisdictionem pertimesceret, qui diuinam contemnere didicerit. Quod si propter Sacerdotes malos negligerentur res diuinæ, quomodo stabunt res humanæ propter Reges malos, Qui enim Sacerdotes contemnit, quia mali sunt, idem contemnit Reges, quia boni non sunt, neque enim Deos, sed homines hominibus voluit Deus præesse, sæpe summum ius malis in bonos tribuens. Atque hanc pænam inter homines peccati esse, vt iustis iniusti sæpe dominantur, fortibus imbecilles, modestis flagitiosi. Quare si vitia spectes, neque Sacerdotes, neque Reges idoneos putabis esse, quibus cæsus hominum & Regna committas, ab vtrisque enim error, culpa & fallacia abesse non potest, Quanquam non se intelligere dicebat Zebrzydoui, vt præter cæteros homines in Polonia vitiosissimi habendi essent Sacerdotes, si enim genus spectes pares esse genere cum cæteris, Si vitam, contentum debere esse Regem, si tantum illi assequuntur, quantum homines possunt, Si mores, satis illos probari, si ab ijs absit scelus, cætera pro communi vita in ijs ferenda esse. Quod verò doctrinam attinet, illam non pro Regum, neque pro multitudinis imperitæ arbitrio, sed pro Ecclesiæ placito, Episcopos præstare

deberè

debere, rem Episcopalis iudicij esse, quæ vsurpanda in Ecclesia Dei quæ contra essent repudianda. Et quoniam non orationes, sed annales scribimus, in quos multa in pauca, pro historiarum lege, conferuntur, his capitibus præmissis, non alienum fuerit ponere, reliquam eius orationis partem, quam ille Episcopus egit moderate, & offensione animi non acerba. Agitur causa coram te Serenissime Rex; nouo iudicio, noua forma, Nos enim Episcopi, causam apud te dicimus, qui aliorum iudices à Deo constituti sumus. At quomodo accusemur audiuiſti, nulla in accusando reuerentia Maiestatis tuæ, nulla obseruantia dignitatis nostræ, ab hominibus ditioni tuæ subiectis, & nostræ curæ commissis, oratione adhibita fuit. Si obliuisci volebant, nos esse Episcopos suos, at certe meminisse debebant nos esse Senatores tuos, qui præcipua pars tui Senatus sumus, Sed cum neque, vt Senatores, neque vt Episcopos decuit, nos illi tractarint, vides in oratione illorum, quanta sit facta labe, primo iniusticiæ, quia violarunt dignitatem nostram, deinde impudentiæ, quia offenderunt Maiestatem tuam cum nos Episcopos suos, Senatores autem tuos, modo Hypocritas, modo lupos te audiente appellare non dubitarent. Quod si id illis iam de nobis licet, triste id quidem impunitatis exemplum in nobis constitueretur, sed nemini magis quam tibi pertimescendum, Nostra enim causa nobis etiam

cadent

cadentibus, ipsa per se stabit, nititur enim illa non vlla humana vi, sed Dei prouidentia, qui Ecclesiam suam cum omni administratione illius in Petra solida, hoc est in se ipso collocavit. De te tibi plurimum cogitandum est ac multum in posterum prouidendum, ne tua Maiestas, quæ voluntate etiam humana continetur, ab his negligatur qui reuerentiã erga Ecclesiam Dei, & erga nos illius ministros in tuo conspectu funditus repudiarunt. Germania documento tibi sit ad omnes tales casus, in qua non prius bellum exarsit ciuile, non prius Cæsar agitari pellicue inde est ceptus, quam ex Germanorum animis reuerentiam omnem erga Episcopos extirpasset Luterus. Qua sublata serpsit deinde res, quæ procliuis ad perniciem vna cum ipso Cæsare labitur, Acerbioribus quotidie casibus nostræ celebrantur aures, Nunc in Germania vrbes expugnari, nunc publicas & res priuatas à seditiosis æstimari, sana diripi, vltro citroque coniurari, ac passim ad arma iri. Vnde hæc Germaniæ noua rerum facies, non aliunde quam ex conuersione religionis, & ex contemptu Pontificiæ dignitatis, quæ pacis & tranquillitatis causa inter homines diuinitus est constituta. Quæ quia in illa nobili & Christiana quondam gente iam nulla est, quæ mala per hos annos Germania non vidit, quas Respub. & priuatas non amisit, quod diuinum & humanum ius retinuit,

quam spem denique suarum rerum habet illa meliorem? Horribilia sunt hæc, quæ commemoro. Sed tibi nisi occuris eadem sunt expectanda: Iacta sunt fundamenta consimilium malorum hisce Comitibus in Polonia: Explica legatorum orationem, & excute illam diligenter, quem tandem timorem Dei, aut quem hominum pudorem in illa reperies. Recordare etiam quid nuper in sacrificio ab non nemine, (Raphaelem autem Leszczyński dicebat) admissum sit, cum exhiberetur solenni ritu, corpus Seruatoris Christi Dei nostri, tuque venerabundus ad illud procumberes, ille solus per summum numinis diuini contemptum stabat te spectante ante aram pileatus: Contempsit hic simul, & Christum Regem cæli, & te Regem terræ, tum Angelos occultos aræ ministros, ac homines corpus illud sacrum palam, vna tecum venerantes. Hæc sunt initia in Polonia malorum omnium, quæ nisi prouides, tuum regnū pessundabunt. Sed hoc loco opponitur nobis dulce ipsius libertatis nomen, quasi verò ista sit libertas, & non potius summa licentia, in qua modus nullus inest, quæ humanas res contemnit, diuinas verò fastidio, atque contumelia euertit, in qua iurgia, maledicta, contumeliæ, seditiones, ac bella insunt ciuilia, Vera enim illa & integra libertas, immodesta non est, neque immanis, neque superba, sed est modesta morigera atque

mitis.

mitis. Quare non libertatem isti, sed exitiosam licentiam flagitant: Quid enim sibi aliud volunt, dum Pontificū iurisdictionem tollunt, quam vt Romano Pontifice, ac nobis remotis de medio, nemo sit qui sacra tueatur, & qui seclis infici Regnum non patiat. Denique vt hi, qui petunt, alijs graues sibi verò ipsi effrenati sint, & præcipites, vt denique in tuo Regno nemo sit pietatis autor, & pacis nemo. Si enim nos exterminabimur ne tu quidem ipse tuto hic permanebis. Nā si is ordo qui te Regem vnxit, ac te Regio sacramento inter Christianos Reges tulit, ius suum amiserit, noli sperare tibi in Polonia quicquam salui fore. Iudicare te de hæresi volunt, quid quæso aliud agunt, quàm vt munus tuum Regium amittas, & nostrū Pontificiū non retineas. Consimilibus Consilijs Rex ille hæbreus ad adolendū thura in sacrificio fuerat adductus, qui tamen repudiatus cum impio sacrificio ab ipso Deo lepra fuerat percussus. Huius Regis casum quæsumus extimeas & inter lepram, metu illius Regiæ lepræ, sacerdotū finito esse iudiciū, inter quos summus ille sacerdos est Romanus Pontifex, cuius auctoritatē æternis patris Deus sanciuir, vt qui illi non obedierit imperio, siue magistratus ille, siue priuatus fuerit, exterminandus sit. Mose ipso teste de populo Dei, cū quo si partitas habueris in Polonia prouincias, & si de illis nihil appetieris munere, teq; intra

14

tuum

tuum munus & officium continueris bene & feliciter regnabis. Hæc te cogitare, & ante oculos proposita habere decet, pro nomine tuo Regio, atq; pietate tua Christiana, longior Zebrzydoui fuerat oratio, multoq; fuit argumentis & exemplis instructior, ut potè, quæ in Concilio eruditorum hominum ante fuerat instituta, habitaq; est ab illo vero polonicè. Sed ego dū latinis auribus serui, mentè illius ad formulā latinā breuiter adstrinxi.

Rex cum primæ sententiæ Senatores in Concilio dissidere videret, magna difficultate afficiebatur, quam sententiam pronunciaturus esset. Nam si Pontifices de hæresi iudicare nollet, priuilegium se eripere amplissimo ordini intelligebat, cum iure iurando, tum etiam fide sua interposita firmatum eius ordini mandato Dei attributum: si verò summum de hæresi iudicium Pontificium pateretur esse, cum in hæresi omnia publica infint crimina, verebatur, ne vel honorem suum cum Pontificibus partiretur, vel communibus legibus aliquod detrimentum inferret. quæ Rege excepto in Polonia neminè de capite, de fortunis, & de existimatione Equitum Polonorum volunt iudicare. Cum ergo in consilio capiendo nimium anxius & dubius esset, proferebat tempus, spatiumq; interponebat quo aliqua ratione concordia à partibus vtrò iniri posset, & duos ferè menses pateretur intercedere, quo hac mora dissensionem partium sanaret.

Qui

Qui dum remedium quærit, assensum cohibebat, ac sententiam dissimulabat, Partes etiam ipsas, ad concordiam summa animi æquitate vocabat, sed cum diu multumq; agitando ac differendo, neq; Pontifices de iure suo Equitibus Polonis concederent, neque Equites Pontificibus quicquā preter leges de se licere vellēt, Rex vix tandem aliquando per Ioannē Oczieski Cancellarium pronunciat de hæresi Pontificum esse iudicium arbitrari, atq; id sibi pro pietate & pro antiquis Poloniæ legibus æquum videri, Hac sententia pronunciata reuerentia quidem Maiestatis conticuerant legati, & ij qui pro illis steterant Patres conscripti. Sed tantus tamen dolor inceserat omnium animos, ut non secus ac certaminè victi, ex consilio omnes discederent, querebanturq; passim homines Poloniam ad eadem ad direptionem Pontificibus à Rege propositam esse, Legati enim vniuersi ad Pontifices publice venerant oratum ut ne pro Decreto Regio iudicia confestim exercerent, sed spatium darent, Equitibus consilij de concordia capiendi, Hæc in Curia Archiepiscopi, per Petrum Boratynsky legati supplices egerunt, quorum precibus adducti Pontifices, annum iurisdictione vacuum passi sunt intercedere, ut interea nemo ex Equitibus Polonis, sectæ reus fieret, spatium deliberandi, liberum illis esset, ut re cōmunicata cum equitibus, in cōuētibus Regni deliberarēt publice

I S

blice

blicè, quoniam modo Leges Poloniæ cum legibus Pontificijs possent conuenire, vt sine præiudicio patriæ legum, obediatur à Polonis Pontificiæ potestati. Quod tamen esset impetratum, multò tamen acerbioribus, iufusioribusq; animis ex Comitij discessum fuit, quam eo fuerat ventum. Illa etiam inueterata sacerdotum contemtio ita augebatur dolore, vt à Comitij & sectæ ad opprobrium sacerdotum ab autoribus profeminarentur, & Pontifices id fieri paterentur impunè, cum ne decreto quidem Regio satis se tuto aduersari posse multitudini concitata intelligerent. Ita cum autoritas Pontificia in summam contemtionem venisset in Polonia pietas primum antiqua corrumpi, deinde illa reuerentiæ cæpta est vitari, qua Regum etiam ipsorum inter homines firmæ habetur opes. In exitu comitiorum communi scito pecuniæ fuerant stipendio imperatæ nec aliud dignum memoria his comitij erat actum.

Iisdem temporibus Isabella Regina, Regno per pactiones Ferdinando Regi tradito, de quo supra est demonstratum, Vngaria excessit & Cracouiam Februario mense cum Ioanne Sigismundo filio aduenit, quam Sigismundus Augustus germanam vti decuit sororem, per Ioannem Bonerum Chelmen: Castellani ac summum ciuitatis Crac: procuratorem excepit, compluribusq; diebus lautij ac muneribus amplissime habuit. Quam inde
Crepit-

Crepitium versus Oppolium profectam, Rex intermisso Petricouia Conuentu Bachanalibus adierat, ac illi coram ex tot periculis in patriam reduci, incolumitatem gratulatus fuerat. Et cum illi Oppoliensis territorij fructus ad rationem à Ferdinando redditam non responderet essetque angustior, quàm qui tanti nominis Reginam cum filio sustentaret. Rex inopiam sororis de sua copia subleuauerat, ac complura territoria necessarij victus illi attribuerat, vt Sanocum in Russia, vt Crepitium in Siradia. Bona etiam mater de suo Wielunium illi addiderat, eoque subsidio annonæ solitudinem filia, nepotisq; aluerat. In hac autem Regina subitam commutationem fortunæ videre licuit, cum enim esset Ioanni Vngariæ Regi in matrimonium à Sigismundo patre data, non multò post & virum & Regnum amiserat, ad eamq; inopiam pactioibus Ferdinandi Regis, atq; Georgij Quæstoris sui venerat, vt nisi Rex frater subuenisset, illa hominis ad miseriam omni nudata ope, victu etiã necessario caruisset. Quã illius sortem, priusq; Cracouia ad virum discederet, vulgo homines præuiderant animo, ita, vt cū Sigismundus pater omnium iudicio propterea reprehenderetur, quod illa ætate, illa forma, atq; dignitate, filia incerto Regi ad incertas nuptias traderet. Scurra quidã Polonicus, valetudine mentis liberius dicax, cui etiã ad opprobriũ vitæ Stãczyko nomẽ erat, carpès Regis factum

factum Sigismundum monuerit, vt antequam filiam in Vngariam extruderet, Cauponam illi Cracouiae repararet, in qua mox illa rediens Cauponariam faceret, Atqui haec illius scurræ dicacitas omen fati fuit. Nam Ioannes Rex diu multumq; Ferdinandi peragitatus armis, non longo tempore illi matrimonio superuixit, & vxorem cum paruo filio reliquit, dote ac Regno cassam. Quæ amissis rebus omnibus se in Poloniam hoc anno receperat cum filio, illa misericordia auunculi Regis digno, de quo illud dignum memoria prætermittendum non existimauimus, cum enim ex pacto, vt ante dictum est, Regina Diadema Regni Ioanni Baptistæ, Ferdinandi exercitus Præfecto Cassouia traderet, illudq; euolueret, crux ex Diadematis fastigio incertum quo casu imprudentibus omnibus delabatur, ac ne ab inquirentibus inueniri posset supprimitur. Itaq; ad Ferdinandum Diadema cruce mancum auferitur. Hanc paruus filius nactus vacuam ab arbitris matrem ludibundus adit, ac cur illa esset mæstarogat, Cui mater quia tibi miserrimo Regi ac mihi ite miseræ matri, ne Diadema quidē Vngariæ reliquū feci. Ad hæc ille, race, obsecro mea mater, ac lachrymis abstine, tenemus enim & nos adhuc Diadematis partem ac cum hoc dicto, celatam crucem de sinu profert & addit. Noli desperare mater ad hanc crucem reliquas eius partes agregatas iri, vt apud quem hæc crux erit.

erit, ad eum quoque congregentur & partēs olim huic cruci subiectæ quæ fuerant. Singularis fuit, in hoc puero ad virtutem indoles, quem cum videres & vultu & sermone & forma & incessu, omniq; cætero cultu facile Regis filium esse diceres, magna quædam de se mirandaq; promittentem, ac videtur hic puer adseruari rebus à Deo fatalibus, sed sinamus fata Regum in occulto esse, neque coniecturis res in sinu Dei abditas scrutemur, neque illas iudicemus ante supremum fatorum diem.

Conuentu Regni confecto, multis de causis Rex statuit, sibi Gedanum esse adeundum, quarum illa fuit iustissima, quod videret Ciuitatem & ab Germania fisco palam sollicitari, & pristinae animaduersionis recordatione clam incitari. Ideo huic rei præuertendum existimauit, ne tanta & tam cōiuncta nobis ciuitas aliquo motu nouis rebus imperijsque studeret. Accessit etiam, patrum conuouersia cum plebe, non ignorans ergo quanta ex dissensionibus incommoda oriri contuessent, eo sibi maturandum existimauit. Sed cum sola aulicorum manu ad urbem tam amplam & plenam proficisci, cum neque satis tutum esse arbitraretur, neque suæ dignitatis esse statueret, euocauerat ad officium itineris amplissimum quemque ac equitatu delecto se instruxerat, circiterque Idus Iunias ex Gostinio cum hoc præsidio Gedanum profectus fuerat. Quæ copiarum etsi nunquam

quam essent tantæ, vt eis contra vim intra urbem consideret, tamen magnum Regium nomen apud suos auctoritatem habere existimans, infirmioribus etiam auxilijs proficisci non dubitauerat, atque omnem sibi ciuitatem tutam fore, existimabat neque aliter euenit, Cum enim appropinquaret vrbi, omnis sese multitudo ad saluandum effudit, Magistratus etiam præfinito Equitum peditumque numero, magna cum reuerentia Maiestatis, prolatis subiectorum more clauibus, & se & ciuitatem in fidem & potestatem Regis permiserunt, summaque fide, receptum habuerunt dispositis aduersus populares tumultus per urbem custodijs, quibus erant aulicorum stationes additæ, His præponebantur Senatores, qui vigilias nocturnas cum præsidijs inuicem obibant, Diuerterat autem Rex posthabito prætorio in domum Ioannis à Werdeñ, qui eo tempore longe nobilissimus & dirissimus apud Gedaneñ, fuit, Cæterum cum suspensa metu agigaretur Ciuitas, quod & præteritorum reminisceretur, & ex animi conscientia timore occuparetur Ioannes Tarnouius Crac. Castellanus Ioannē à Werdeñ, de Principibus nactus, quadã noticia sibi coniunctum, cū hoc secreto colloquitur, ac per illum leuare metu Ciuitatē nititur, ne qua aut rumoribus, aut pollicitationib⁹ aut falsis nuncijs cōmutatio, fieret voluntatis, Itaq; multa humanitate comple-

complexus hominem, in occulto illi proponit, Gedanenses quã libera potestate instructum habeant Polonia Regem, in quo neque vis neque contumelia vlla inesset in subiectos. Tum etiam addit Polonia Reges Gedanensium Ciuitatem quam semper aluissent, omnibusq; rebus ornassēt, ac pari libertate cum Polonia esse voluissent. Ita factum esse & illorum fide & Polonorum commercio, in Polonia Regno florentissimam opulentissimamq; vt habeant Ciuitatem, cuius fortunam cum qua tandem Germania Ciuitate cōparare vellent, Neque enim conferendum esse Gedanensium libertatem cum calamitate Germaniæ præteri, neque hunc statum cum illo comparandum, in illo enim homines subiecti & vasalli appellarentur, In hoc fideles dilecti æqualitate iuris, ac communiōe utilitatis cum Polonis coniuncti, à quibus in parem iuris & libertatis conditionem semel recepti, nunquam alio quam fratrum & amicorum loco haberentur. Quod secus Germanis accidat, in quos omnia exēpla & cruciatus eduntur, si quæ res ab illis non ad nutum, aut ad voluntatem præsidum facta sit. Iure igitur liceret illis gloriari eos in optima Republica viuere, in qua positi nihil facerent inuiti, Quæ cum ita sint, adessent animis, neque alia consilia aut homines respicerent, pertinacia etiam desisterent, neque iusticiam Regis contumæcia potius

porius, quam obedientia tentarent. Magnam esse vim, magnum nomen, intra & extra urbem, armis atque legibus armati Regis, Denique urbem positam in gremio Poloniae Regio imperio irā contineri, vt nusquam contra nutum Regis sese posset commouere, Idcirco repudiarent in quietorum hominum improba & seditiosa consilia, huc vero incumberent vniuersi, quomodo æquo, & fauēte Rege libera Ciuitate atque pace & ocio frui possent, quandoquidem preter hanc alia causa Regij aduentus ad eos non esset, ab his hæc dicta cognoui, qui sermoni interfuerant. Hac oratione confirmatus Senator ille Ioanni Tarnouio agit gratias polliceturque id, quod de illo audierat, reliquis se ibenter narraturum, factaque potestate discedit, habuitque post hoc colloquium, Rex faciliorem Ciuitatem, Nam antea quamuis publice in Regem Ciuitatis constaret fides: tamen priuatim multæ quotidie offensiones & contentiones ab illis ad nostros afferebantur, ex quibus quo illi essent animo sciri poterat, nā neque decima quæque domus erat relicta armato absque milite, neq; ad illorū præsidia tutus dabatur nostris receptus, ita vt cum casu Anselmus Gostromski florentissimus Aulicorum à cæna rediens in stationem Germanicam incidisset, compluribus amissis, ipse vix armis primo, deinde fuga euaserit. Quo sanè tempore nisi Petrus Boratyński

tyński Petri Kmithæ. Magistri qui fuerat familiaris, stationis præfectum tumultuantem repressisset, magnum periculum illa nox attulisset. Nam Præfectus postridie eo nomine ad Regem vocatus, & qua tandem fiducia nocte præterita fuerit interrogatus, animo præsentis responderat, Sibi à magistratibus nocturnam curam ciuitatis mandatam esse hac conditione, vt si ipse non sustineret, campana signum per stationes faceret, vt Ciuitas ipsa ad auxilium concurreret, Quod ne accideret, in ipsa turba maxima, quam aulici noctu dedisset domum se Petri Kmithæ Sceptrigeri abijisse, ac illum per Petrum Boratyński diligenter monuisse, vt is reprimeret aulicos, & urbem ab illorum contumelijs, iniurijsque prohiberet ne Ciuitas incitata ius suum armis tueri necesse haberet. Hæc confessus abiit, factumque illud impunè tulit, ex cuius confessione constabat Gedaneh. eo animo fuisse, vt armis tegerentur, si à Rege tuti non essent. Hoc totum incommodum Ioannes Tarnouius colloquio vertit in bonum, perfecitq; vt Rex trāquillissime controuersias Ciuitatis diudicaret, Cum enim prægrauaret patrum autoritas plebem, ciuitasque nimiam potentiam magistratuum minui veller. Senatus prolati Priuilegijs, quæ antiquitus auctoritatem patrum, aduersus plebem muniebant, rem obtinuit. Rex enim decreto interposito magistratum, secundum

cundum priuilegia potestatem obtinere iussit, & priuilegio nouo, Magistratui de eadem potestate cauit, nimium conquirente, & indignante plebe iure ne an iniuria, nescio, Rex diudicatis controuersijs ac uertigalibus urbanis ordinatis, rationibusque ærarij inspectis etiam consuluit, quomodo Ciuitas ab Germania & ab fisco imperiali tuta esset, neque preter Regem Poloniæ ullius alterius ditioni, atque imperio pareat, Interim autem dum Rex Gedanenses res componit, ingens variarum gentium in urbem confluit, multitudo, Venerat etiam Albertus Prussiæ Princeps, ac Nicolaus Radziuilius Vilnensis Pallatinus Olicæ Dux, qui nauibus cum Ioanne Tarnouio Castellani filio secundo Istulæ flumine transerat. Cui portum subeunti obuiam prodierant pedibus, tam Regius, quam Urbicus Senatus, Amplissimèque exceptus, in urbem publicis gratulationibus fuerat introductus. Et cum urbs maritima hominum cuiusque generis plenissima ac refertissima esset, Rex multis spectaculis, visendum se ac cognoscendum præbuit, in quibus erat uetus ille Troiæ ludus, quem ante urbem lusit, turmis duabus nobilissimorum iuuenum, in quarum altera Rex ipse cultu, equo, atque concursu insignis fuit, tricenisque equitibus hinc & inde commissis ipse Martinum Herbaltum, Equitem

Ruthe-

Ruthenum Antagonistam habuit, quem æquore peragitant toto, ac in campos patentes acer effudit, non sine militari gloria, & acclamatione circumfusæ turbæ, qui leniter à summo decliuis imminiebat ludo, ac in latitudinem patens teatro locum præbebat. Rebus Gedanensium ex sententia compositis cohortatus Ciues, ut Maiestatem suam comiter conseruarent & ut libertate moderate uterentur, neque sibi illam præcipitem, reliquis uero ciuibus grauem facerent. Hinc conuersus ad res Lituaniæ ordinandas discessit, ad XV. Calendas. Septembris ab Albertoque Prussiæ Duce inuitatus Regiomontem ex itinere petiuit, Quam urbem cum adiret, & cum ante urbem Princeps illi aduentum militari more gratularetur, accidit, ut è mortario Cupa, per incendium teda, ac pice referta elideretur, ac proceretur in sublime, artis ostentandæ gratia. Quæ cum & artem & oculos omnium fessellisset, neque ignem è mortario concepisset, raro decidens casu, cum Rex paruo momento excessisset, Regium armigerum opressit, panè Regem stantem ita, ut caput discedum Regem cerebro respergeret. Ita mirabili fortunæ beneficio periculum Rex uitauit, Hicque casus tantum terrorem Polonis iniecerat, ut nisi summa, cum in omnes mortales, tum præcipuè in Regem Poloniæ illius Principis fides omnes con-

K 2

iecturæ

iecturas à suspicionem remouisset. Id quod casu factum erat, ex præparato fuisse factum poterat suspicari. Quem casum Princeps ille ægerrime tulit morteque Magistrum artis, errorem nisi Rex obstitisset, corrigere voluit, Ne quid tamen de illa voluptate, & gratulatione, fortuna diminuisse videretur, humanitate Regis fuerat perfectum. Qui ut doceret, quantam fidem Principi rerum omnium haberet, summa voluntate Regiomontem ingressus, largissimo gratissimoque Principis hospitio triduum latatus est.

Cum esset Rex in vltiori Prussia, nec dum Regiomete discederet, literis Nicolai Sieniauij, Belleñ. Palatini qui exercitui præerat certior fiebat, omnes Dacos in deditionem potestatemque suam esse redactos, Hi erant ex Italis Romanisque procreati. Qui Duce Lucio Valerio Flacco, cum Daciam occupauissent, in hisque regionibus vxores duxissent ac conuenissent, Hos Dacos reliquerunt qui eorum lingua Romini à Romanis, nostra Walachi, ab Italis appellantur Wloszy enim Polonis, idem est, quod Itali Latinis, Quorum Regio Moldauiam, quasi maior Dacia vulgo nominatur, Hi natura moribus ac lingua non multum à cultu Italiæ absunt, suntque homines feri magnæque virtutis, neque alia gens est, quæ pro gloria belli & fortitudine, angustiores fines

cum

cum habeat, plures ex propinquitate hostes sustineat, quibus continenter, aut bellum infert, aut illatum defendit. Habet ab ortu Mæsiam, ab occasu Russiam, à meridie Transylvaniam, à Septentrione Scythiam. Tantæ autem sunt virtutis, ut cum omnibus his gentibus, quorum fines attingunt, eodem tempore sæpè prælio contenderent, victoresque fuerint, Nam Stephanus, qui patrum nostrorum memoria, Principatum in Dacia obtinuerat, vna propemodum ætate, & Bajasetum Turcam, & Matthiam Vngarum, & Ioannem Albertum Polonum bello magno deuicerat, magnamque calamitatem victis intulerat, Hi tamen præ multitudine hostium & præ angustia finium, non magis virtute, quam dolo contendunt, aut insidijs nituntur. Nulla apud illos religio iurandi est, nulla promissorum, neque pactorum fides, quibus illi rebus, magis ad spem vtuntur quàm ad aliquam necessitatem. Ad hæc que rem vbi in angusto se vident decurrunt, ut spatium elabendi habeant, quo à fraude auxilium petant. Itaque sæpè compertum est, eos fidem ac iurandum finitimis inuicem dedisse, ut coniurati eorundem socij & hostes essent. Nec verò foris solum, hoc illi sunt ingenio, sed domi etiam consimili perfidia consistantur, quæ illi generi hominum innata est maximè. Non

K 3

illi fidem

illi fidem Principibus præstant, non Principes illis iuste imperant, suspensa inter illos, incerta suspectaque sunt omnia, ob quam etiam causam, multos nostra plures patrum memoria Tyrannos illa gens tulit, nec mitiores, nec humaniores, veteribus Siciliae Tyrannis quorum est præter ceteros nobilitata crudelitas, Inter quos Stephanus eius Perri filius, quem Ioannes Tarnouius ad Oberinum vicit, ac Helix frater, quem ad Mahometum descivisse, supra est ostensum, singulari crudelitate fuit, Qui à fratre accepto imperio mox in omne crudelitatis genus erupit, nulla materia neque occasione ad crudelitatem prætermissa, Cuius singularim crudeliter facta, exequi longum esset, Illud summatim satis sit ponere. tanta hunc Tyrannum immanitate fuisse, ut inter genera pænarum mortem leuissimum duxerit esse supplicium. Nam ut prætermittam hominibus innocentissimis præfectas aures, atque nares, effoscos oculos, excisas linguas, spoliata ac diuaricata membra, & alia in audita ad diuturniorem dolorem supplicia, excogitauerat etiam inter genera cruciatus, plumbum feruens quo in aduersum os coniecto, affligerentur homines tanta peste intus concepta, ut ne cum præoptarent quidem statim possent emori.

mori. Et cum quotidie augetur, intenderetque sauciam, nullumque modum crudelitati, in supplicijs adderet, neque tempus vacuum supplicio dimitteret, diffugerent passim ex Dacia homines compluresque Senatorij Ordinis, elapsi fuga, in Poloniam venerant, ac stipendia in exercitu Regio facerent, quos omni conatu Tyrannus ut illorum supplicijs exsaturaret animum recuperare studebat. Erat missus hoc anno, ad renouandum fædus à Rege ad Solimanum Turcam Vir fide, ac ingenio excellens, Valentinus Dembiński Bieceñ, Castellanus. Hic quamuis dehortantibus multis, vsitato nostris legatis, in Turciam itinere per Daciam statuerat proficisci, quod & illac compendium itineris sciret esse, & nomen ipsum Legati Sanctum inuolatumque apud omnes gentes, apud fæderatas præsertim magnam autoritatem habere putaret apud Tyrannum etiam, Hunc Stephanus sibi obijci à fortuna ratus illum in itinere agredi, ac excipere statuit, nec prius dimittere, quam à Rege illi redderentur omnes ad vnum profuga. Iam verò cum apud Tyrannum nulla esset secreti fides, hæc illius consilia emanerant ad vulgus ac ad aures ipsius etiam legati venerant. Qui cum sibi tanta perfidia iter inclusum esse videret, interea destitit, ac Cracouiam

couiam saluus, intermissa legione rediit. Stephanus ubi sua, sequi euentum non vidit, desperatis rebus statuit ad extremum reliquis Senatoribus qui remanserant interfectis, repudiata fide Catholica exemplo fratris, in Mahometis sectam concedere, ac Turcis Daciam prodere, ad eam impieratem desperationemque salutis, certos ex Turcia magistris, duas etiam Turcicas meretrices, assidue circumse habebat, à quibus auersus à Christo & deprauatus ex Tyrannide, in Mahometi fidem ibat procluis. Cæterum Senatores ac reliqui de Tyranni consilijs iudicantes coniectura, adueunt ad Nicolaum Sieniauium exercitus Regij in Russia Præfectum, per illos, quos ex Dacia profugisse, ac in exercitu Regio illo præfecto meruisse docuimus: ab illo petunt auxilium, vt maximè necessario tempore Daciæ subueniret, ac cum exercitu ad Tyram flumen, qui Russiam à Dacia diuidit propius accederet, fore vt interfecto propediem Tyranno omnis Dacia in ditionem atque potestatem Regis Poloniae veniret. Si Sieniauius, vel autoritate sua atque exercitus, vel nomine Regio reliquos Dacos deterreret, ne alium principem præter eum, quem Rex Poloniae daret reciperent eiusque nomen, & auctoritatem sequerentur: orare, atque obsecrare ne supplices aspernarentur, neuè bellicosissimam Prouin-

Prouinciam pro qua Poloni multa & graua bella gesserunt, repudiaret, quam sine vulnere ditionis Polonicae in præsentia posset facere, vnum se petere ac deprecari, vt si ille pro clementia ac mansuetudine Regis sui statuisset, Dacos esse recipiendos, ne illis alium dominum imponeret, præter eum, quem apud se in castris haberet, Petrum Daciæ Pincernam gente & natione Dacum. Hæc exules Daci secreto ad pedes proiecti in oculo, magno fletu à Sieniauiio petebant, Sieniauius, tamen si intelligeret suas partes esse omnia agere ad præscriptum, & ad summam rerum consulere Regium non suum munus esse: tamen ob exiguitatem temporis cum ex tanto interuallo aduendi ad Regem potestas illi non esset, veritus ne si spatium intercederet, commutatio aliqua apud Dacos fieret voluntatis, & ipse oecum rei bene gerendæ pretermitteret, se in consilio communicata cum primorum ordinum centurionibus facturum se esse omnia pro Maiestati Regis sui quæ in rem illorum forent pollicetur. Ipse ex eo loco cui Iarmolince nomen est fiducia rei bene gerendæ castra mouet, ac ad Tyram (Dnestrum nostri vocant) idoneo castra loco ponit. Interea de Sieniauij voluntate certiores à suis facti Daci, cum his Dacis, qui in castris nostris erant, tempus interficiendi Tyranni

ranni conſtituunt, & quàm occultiffimè, illius admaturant necem, accelerantque, ne qua rumoribus conſiliorum fieret proditio. Huic non defuit fortuna conſilio. Tyrannus enim cū hęc inſtituiſſet perdendum Senatorum viam, vt ad VI. Idus Septembris vocatos ad conuiuium omnes interficeret, illi diem præuertunt, ac illius anticipant conſilia, noctu enim ad flumen Prut ſolitarium Tyrannum naſti, qui vt animi cauſa, cum meretricibus nauigauerat, ita ad idem flumen poſito tabernaculo, cum inſdem quieuerat, cum ſeptem & decem ſatellitibus, quos cuſtodix cauſa, circum ſe habebat. In hunc de tertia vigilia cum indulgentius ſeruaretur, impetum faciunt ac telis Tyrannum introrſus petunt, qui ſomno clamore cuſtodem excitus, arcu atque ſagittis Dacorum impetum ex tabernaculo fortiter ſuſtinuit, ac pugnavit, cum diſſugiſſent cuſtodes, ita acriter, vt à forti viro in extrema ſpe ſalutis contra multitudinem pugnari debuit. Et cum tabernaculum plurimum illi monenti ad ſalutem afferret, Triginta fortiſſimi Dacorum de equis deſiliunt, ac pedibus tabernaculum diripiunt, Tyrannumque inuadunt, hic Tyrannus cū vis fieret, miſerando cum ciulato ex ira in preces verſus, ſupplex deprecabatur necem, identidem

tidemque clamans, parcite, parcite, veniam date, ac me ſeruate, aurum, quod adest capite, & cum nihil orando proficeret, Dacique telis moribundum conficerent, in hac voce deſecit. Ergo occidite. Huius abſciſſum ceruici caput, de integro trunco adſuitur, ac ita ad paternum ſepulchrum mittitur, illucque illarum nulla ſunebri pompa vt Tyrannum decuit, ſepelitur. Interfecto Tyranno tanraque peſte hominum leuata, C C C. de primoribus Dacum ad Sieniauium in caſtra venerunt, ſequē in deditiōnem recipiat, petiuerunt, ac omnem Daciam in fidem & poteſtatem Regiam permiſerunt, vnum modo petentes deprecantesque, quod etiam prius feciſſent, vt ne quem alium illis Principem attribueret, præter cum Petrum Pincernam qui in caſtris apud illum eſſet. Sieniauius cum videret rem iam ad extremum perductam eſſe caſum, ne quod ſpatium genti mobili ad aliud conſilium capiendum daret, ſtatuit è veſtigio Daciam recipere quæ illi manibus propemodum ipſius fortunæ offerebatur diuinitus. Itaque producit hunc quem poſcebant Petrum ac illum in conſpectu noſtri exercitus Dacix Principem declarat, ſummamque poteſtatem in Dacos obtinere iuber. Hunc Dacitiam hi qui aduenerant, quàm qui in caſtris conſectis

confectis stipendijs erant, ad pedes proiecti, ingenti gaudio atque fletu dominum ac Principem Daciae salutant, illicque se in fidem ac potestatem dant. Erat enim hic vel ipsius Sieniauii testimonio, vir bonus, iustus, ac pius, & qui ex tetertima seruitute in opraram libertatem. Daciam posset transferre. Interea Senatores qui reliqui erant in Dacia, quorum Principes erant. Sturdza magnus Daciae procurator Mogila magister Equitum illos CCC. qui in castra venerant Primi & ipsi subsecuti, ne ultimi nouum Principem salutare aduenisse viderentur, ad Sieniauium aduentabant, certioreque illum de suo aduentu faciebant, Sieniauius ut pro dignitate sua & exercitus ac Regis sui administraret, Paulum Seczygniowski magnae virtutis adolescentem cum cohorte vna Equitum honoris causa obuiam illis misit, adiuncto illi CCC. Equitibus Daces, qui Tyranni fuga stipendia in Exercitu nostro faciebant, ijs praeficit Mosochum fortissimum Dacorum. Interea dum Sturza ac Mogila, & reliquorum Daciae Senatorum aduentus in expectatione apud Sieniauium est, Mater Tyranni intefecti, siue nece filij permota, siue Tyrannide delectata, illos deprauat, & ab itinere auertit, hucque eos impellit, ut post habito Petro, Zoldam quendam, cum quo erat nupta Tyranni soror, Principem Daciae facerent,

neque

neque illum Petrum, qui ab Sieniauiio dabantur reciperent, quod etiam ut ad perfidiam Dacorum mobilis mens est, faciunt, Zoldamque Daciae Principem constituunt, In magnis angustijs res posita fuit, quae expediri, nisi summa celeritate non potuit. Seczygnouius, ubi alias res sperasse, alijs se occurisse videt, cum Mosoch substitit, neque illos, quibus obuiam erat missus adit, quin verò ad eos quatuor nobiles Dacos mittit causam quaesitum, vnde nant haec subita extitisset commutatio voluntatis, ut ex hospitibus hostes subito existerent, aut cur in deligendo Principe voluntati vnus mulierculae potius priuatim obtemperarent, quam publicè Poloniae Regis auctoritatem sequerentur, atque reliqua addit, quae ad eorum sanandas mentes, pertinere videbantur. Quos cum illi domi apud matrem Tyranni in vico Schipot dicto conspexissent, conclamant, speculatum ad se venisse, conantes loqui prohibent, ac in catenas conijciunt, Seczygniowski quique cum illo erat Mosochus, ubi nihil ab illis quos miserant referri vident, id quod erat, rati suos nuncios captos ac retentos esse, ne mora hic casus res plures acciperet, albente iam caelo vicum ac aedificium summa vi inuadunt egregio opere munitum. Quod fortissime propugnantibus illis qui intus erant, cum expugnare non posset. Paulus

Seczy-

Seczygniowski horreum adiunctum iubet incendi, quo incendio necessario conflagrandum fuerat, qui intus erant omnibus, cum eodem tempore, neque ignem neque impetum ferre possent, itaque presenti malo coacti, priusquam flamma domum occupauisset foras egressi, & se & Zoldam Seczygniouio dederunt, quos ille custodijs ac catenis vinctos ad Sienaium in castra pro hospitijs hostes victor ducebat. Interim Sienaius expectatione aduentantium Dacorum suspensus, ac qui casus Seczygniouium cum Moscho excepissent incertus, cum Petro Principe designato, transijt Tyram. Nam adhibitis in consilium inprimis docto ac pio viro Leonardo Cameneceñ. Episcopo, quē toto hoc tempore in Castris stauis secum habebat, postea Matthia Wlōdkone Cameneceñ. municipij Præfecto, qui rei militaris peritissimus habebatur, tum reliquis centurionibus formulam componit, secundum quā Petrus Princeps designatus cum omni Senatu suo Polonix Regi fidem, ac iusiurandum daret, priusquam Principatum iniret, cuius capita hæc erant, vt pacem ac fidem & obedientiam Polono Regi præstaret, vt eosdem hostes, & amicos cum Rege haberet, vt præsens ipse, si qua grauiora bella incidere, auxilijs atque opibus sustentaret, vt ad quotidianos belli vsus, equi-

equitum septem milia Regi submitteret, vt nulla priuata neque publica pacta atque fœdera in consulto Polono Rege faceret, vt promissa Polonix Regno antiquitus ab Dacix Principibus rata haberet vt mox iniro Principatu, coram legato Regio ad id misso, eadem hæc iuraret. huc addit obrestationem grauissimam, vt si fidem hanc fallerent, vt ne salui seruatique sint cum liberis parentibus ac vxoribus suis. Conscripta hæc formula de consilij sententia in conspectu exercitus nostri Petro ac reliquis Dacis descripto recitatur, qui num in hæc verba iurare vellent, rogati omnes, iuratos se esse responderunt, ac proposita solenni more sacra cruce omnes cum Petro Principe procumbunt, ac in hæc verba iurant. Hæc Sanctissima Polono Regi data fide Petrus Princeps à Sienaiio postulat, quo se Regis Polonix iuratum clientem cum præsidio Polonico in Daciam quāprimū mitteret quod si faceret, & Petri auctoritatem apud omnes Dacos amplificaret, & Polonix etiam Regis opinionem confirmaret, tantas videlicet esse illius facultates, vt non solum in fidem clientes recipere, sed etiam tueri receptos possit. Sienaius vir magni consilij, magnæque virtutis, ne villo negotio tam secundis rebus deesse videretur, ex omni exercitu fortissimos centuriones cum equitum cohortibus deligit quibus imperat

imperat, vt Petrum deducant, illique præsidio in Daciam sint, hi autem fuerunt, Stanislaus Tarlo, Zamoyski, Bernardus Pretuicius, Nicolaus Sieniauius filius, his adiungit Antonium moram Hispanum, cum peditum delecta manu. Cum hoc præsidio Petrus facta potestate in ressus Daciam iter Socauam habebat, quo loci gentis principalis sedes est. In transitu fit ei obuiam Paulus Seczygnowski cum Zolda emulo, & cum illis ciuibus, quibus iussus obuiam ierat, & quos expugnata domo captos ad ludibrium propemodum forrunæ ducebat, vt quos hospites honorificè adducturus erat, eos ignominiosè hostes duceret, atque in ea re strenuam R. P. operant nauaret hos in potestatem Petro dat, quos ille supplices, pro iusticia & clementia sua omnes conseruauit. Hocque Principium in Daciam adueniens mansuetudinis suæ dedit, solo Zolda ad infamiam affectati Principatus naribus mutilato, quod ita notati apud Dacos infames habentur, vt ad Principatum nequeant aspirare, hæc deditio à Nicolao Sieniauiio Regiomontem Regi nunciata parum grata illi accidit, secum reputanti, quam ad omnem motum fortunæ gens illa esset mobilis, quæ necessitate coacta, non vlla voluntate addicta ipsius fidem esset secuta, tum etiam, quod illam gentem Turcis sciret esse vestigalem, verebantur ne illa reci-

pienda

pienda Turcicum bellum vtrò accerseret, aureoque hamo piscaretur, quo Augusti Cæsaris pro uerbio improbandur minima commoda, non minimo emta discrimine. Nec verò Rex solus hoc nuncio ita affectus fuit, sed non nulli etiam Senatorij, Orinis cum quibus consensit turba omnis, insole s belli diurnitate ocij, itaque exaudiebantur etiam illæ voces dedendum Turcis Nicolaum Sieniauium fore, si quid illius opera graue Regno accideret, citabanturque ex Romana vetustate Spurius Postumius & C. Mancinus, quorum deditioe consimilis audacia Romæ olim fuerat expiata, contra verò censebant alij, Inprimis autem summus bello vir Albertus Prussiae Dux, qui exhilaratus Nuncio cohortatus esse Regem dicitur, vt benignitatem fortunæ agnosceret, quæ illi ne optanti quidem sponte sua tantas res confecisset, eamque gentem in ditionem eius rede gisset, quam maiores sui armis redigere nunquam potuerunt, fore hanc rem Poloniae saluti, ac præsidio aduersus omnem vim Turcicam. Habendam ergo gratiam Deo censebat, qui potius à nobis, quam contra nos, tam potentem armis gentem stare voluit. Perfidiam etiam gentis excusauit, Tyrannide fera, & immani, quæ cum ipsa natura omni fide sit cassa, mirum non esset, si in ea positi homines, omni ratione ad libertatem contenderent, cuius omnes

L

appeten-

appetentes sumus, conditionem autem seruitutis odimus, Qua ut liberemur dolus & virtus eiusdem momenti res apud nos sunt: fore Dacos æquo & fauente domino, fideles & immobiles subiectos. Postremo omnes opes ac facultates suas seipsum denique ad omnes vsus, tuendæ ac retinendæ Daciæ Regi obrulit, adesset modo Rex animo, pristinaeq; virtutis maiorum suorum memoriam retineret, Daciamque diuinitus sibi oblatam fortissime sustineret, ac hæc bona eundem qui obrulisset Seruaturū Deū speraret. Hæc ego dicta ab aulicis ut accepi, ita posui quæ vulgo lequebatur, militaris fauor t̄ Ioannes certè Tarnouius, qui signa cum hac gente contulerat, victorque fuerat, agnoscebat, donum illud Regi Polono oblatum esse diuinitus, Cæterum Nicolaus Sieniauius, exercitusque illius, consenescebant mærore cum viderent suam operam ingrattam accidisse Regi, tantoque dolebant magis, quanto illorum obrectatores apud Regem eos criminabantur, ac si dedissent damnum, aut malum. Postremo Rex hoc animo Regiomonte in Lituaniam discessisse ferebatur, ut qui se Daciam neget, dediciam habiturum.



ANNALIS SEXTVS.

LECTOR. Si temporis ordinem sequi voluissemus, hic Sextus Annalis præponi debuit. Præcesserunt enim gesta illius excessum D. Sigismundi Annis Vndecem, à quo Orichouius priores quinque Annales incepit. Nam hæc Anno Christi 1537. Sigismundus verò inter Diuos relatus Anno 1548. Sed quod autor ea quæ operibus præmitti solent, ante illos quinque priores collocauit, huncq; seorsim nacti sumus, non visum est eius rationem turbare. Denique, bonū ubiq; in loco, ut vetus verbum est. Vale, fruere, similis esto.

REX bello Valachico decreto, comitijs absolutis, trina de more literarum significatione Polonis, vt ad diem Visitationis Mariæ apud Trebowla oppidum Russiæ armati adessent, edixerat, Verùm cum per legatos, qui componendæ pacis gratia, à Ferdinando Romanorum Rege, ad Valachum missi fuerant, Rex diutius Cracouiæ detinetur, ad constitutum diem & locum cum exercitu venire non potuit. Itaque pace infecta legatis dimissis, ipse summis Iulij Mensis caloribus, hoc est sexta Iulij Cracouia discedens Leopolim profectus est. Quo in loco omnibus coactis copijs nil potius habebat, quam vt primo quoque tempore ad hostem tenderet. Sed hæc consilia illius multi graues variq̃ue in Reipub: motus fefellerunt. Cum omnia laberentur in deterius, non Princeps subditis, non subditi principi, certis legibus ac firmo beneuolentiæ vinculo coniungerentur: idque non legatorum opera neque Senatus diligentia in Comitij corrigi posse nobilitas animaduertisset: non iam de gerendo bello, sed de constituenda Reipub: deliberationem suscipere cepit, ita vt non prius hosti occurreretur, quam omnia contra leges commissa, in in regrum restituerentur, fremere cuncti contra patres, in eos culpam omnes conferre, quod eorum negligentia in tantas difficultates Respub: deueniret, du-

rit, durum præterea imperium, intolerabilem dominationem Regiam sibi videri, Deos hominesque testari, se in bellum non prius ituros quam scirent pro qua re pugnaturi essent: Regnum esse sine iure, sine lege, nihil valere fas moremque maiorum, sed omnia potentiorum libidini esse subiecta. Nihil esse quod expectarent, nihil quod amplius libertate amissa sibi aduersus externum hostem defendendum putarent. His atque talibus querimonijs incensa & exagitata nobilitas, omnem de gerendo bello, vt dixi, cogitationem deposuit, & ad eam partem accessit, qua nitebatur salus Reipub: Quare priuatim & publicè cum Rege & Senatu ipso causam communem tanto studio egit, vt nullum esset in Reipub: tempus, quo maioribus motibus res aliqua agi putaretur. Modo Senatum in campum extra urbem educēs, modo in oppido, cogere, orare, obtestari, minari denique, vt labenti Reipub: succurrerent, & ne quid caperet detrimenti, prouiderent. Itaq̃ cum res incensis inimicitijs in publico vniuersæ Poloniæ conuentu à prudentissimis hominibus ita concionibus publicis esset exagitata, vt vetus defendendæ Reipub: exemplum reuocatum, ad veterem illorum Græcorum Romanorumq̃ morem videretur. Visum est non in utile fore si summorum virorum fides prudentia ac singularis intuentia Reipub: constantia mandaretur litteris, ne

negligentia oblitterata interiret. Quare seruata illorum sententia latine sicut acta sunt, fide bona singula sunt reddita.

Consilia & Conciones in maximo totius
Poloniæ Conuentu apud Leopolim
de Repub: habitæ.

PRIMUS apud Diuum Georgium ante Leopolim in Campo nobilitatis cum Senatu congressus fuit, in quo multa de summa Reipublicæ dicta & acta sunt. Verum ea à nemine excepta & notata intercederunt. Reliqua vero quæ subsecuta, diligenter literis seruata sunt. Cum enim in hoc primo congressu multa postulata, Nobilitatis à Senatu fuissent ad Regem relata, Nobilitati verò ad ea per Castellanum Posnaniensem, qui nomine Regis responderat, non satis esse factum videretur, petierunt à Senatu vt in Campum apud Villâ Boiska ex vrbe prodire vellent, in eo de Repub. deliberaturi. Senatus æqua petenti Nobilitati annuit, & ad locū, & ad tēpus constitutum se affuturum benignissimè promisit Die 22. Mensis Augusti, vt erat constitutum, Senatu cuncto in Campum vocato, frequentissimo omnium conuentū Petrus Zborowski Castellanus Malogostensis nobilitatis nomine ita locutus est.

ETH sciam me oneri ab vniuersa Regni Nobilitate, mihi imposto imparem esse: tamen cum il-

cum illa instaret, subterfugere illius, mādāt im, neq; volui neque potui. Vereor em̄ ne si illius studio non essem obsecutus, in difficillima Reipub: causa tardior ad eā subleuandā esse viderer. Cum ergo rē tantam, neq; ingenio complecti, neq; facultate sustinere possē, hac tamen sola ratione fidē meā erga Rempub. & debitum studiū atq; obseruantiam testari volui. Si ea, quæ vno omnium consensu mihi mandata sunt vobis refferē. Sæpē id à vobis per legatos vestros cū alias tum maximè in comitijs proximè Cracouiæ habitis, petimus vt pro vestra in Repub. fide daretis operā, ne libertas nostra firmata legibus, ac omni recta ratione cōmunita, aliqua vi ledi ac violari possit. Quod à vobis impetratum non esse, Legati nostri in vos culpā omnē, vos contra in legatos transfertis, cum & illi libere de Repub. vobiscum se agere nō posse. Et vos plura ab illis, quā esset illis à nobis mandatū exigere velle dicāt. Qua ex re quātum detrimēti Reipub. capiat, videtis. Itaq; nō iam per legatos, vt ante vobiscum de libertate & legibus nostris egimus, sed ipsimet in hunc locū conuenimus, vt non amplius Senatus de Legatis neq; legari de Senatu iure posse queri videātur. Quare agimus nos ipsi causā nostrā, cuius nuper Senatu frequenti, magnoq; omnium ordinum conuētū, in arce apud Maiestātē Regiā præclara iecimus fundamēta. Qua in re illud tamen miramur non ad omnia

postulata Dominum Castellanum Pofnaniensem, nomine Regio nobis respondisse. Itaq; cum hæc ad summam Reipub: pertinerent, repetenda apud vos duximus, vt quis esset vester in Reipub: sensus scire possimus. Ac primum illud legibus & libertati nostræ maxime necessariū esse videtur. Bellum suscepimus, relicta priuata domesticæ rei cura, ad Rempub. propugnandā parati hic adsumus, Sed cur adesse opus fuit nondum certè videmus. At enim hoc Regiæ Maiestati vniuersa nobilitas debet, vt periclitante Reipub: quancūq; vocata sit, necessario adcurrat & hostiles à Regni finibus arceat insultus. Esto sanè. Sed cum hoc tempore fines imperij nemo occupet, nemo nobis hostiliter imminet, an bellum indici debuerit, videte. Scitis profecto hoc vnicum remedium contra difficillimos Reipub. casus à maioribus nostris semper esse seruatum vt bellum publicè nunquam decerneretur, nisi cum potentior aliquis hostis Regnū inuaderet. Cui si aliter defendi nō possit, tum ad illud confugiendū est, quod lex concedit, & suadet necessitas, vt bellum decreto publico suscipiatur, illudque tam diu geratur, quā diu hostis intra fines Regni fuerit. Fugato vero & pulso hoste lex nos à bello gerendo liberat. Illud tamen gratiæ causa, ac singularis erga Princeipem suum fidei maiores nostri addiderunt, Vt si Rex extra Regnum bellum gereret, quouis

quinis Marcis in singulos hastatos datis bellū publice susciperetur & ita aduersus regni hostē extra fines Poloniae vna cum ipso Rege egrederemur. Hæc sunt duæ legitime belli gerendi causæ, sine quibus nullū tēpus esse debet, quo bellum decerni aut expeditio indici publicæ possit. Quare cum hostis intra Regnum nō sit, pecunia de more non numerata, dubitare nemo potest, bellum sine causa esse decretū. Nos maximis sūptibus ac magnorū nostrarum dispendio huic profecti sumus. At qui in tātis iniurijs R. P. æquiori animo essemus, si equaliter omnes hæc incōmoda ferremus. Verū quibusdā Palatinis, & nō nullis Castellanis, multisq; ex ordine nobiliū immunitas cōtra leges data, cū à publica expeditione liber esse nemo debeat. Neq; eos illud excusare potest, quod Dominus Castellanus Pofnaniensē respondit, eos tantū immunes videri quib; immunitas Diplomate Regio data sit. Nos verò Maiestatem Regiā nemini legitime id dare potuisse arbitramur, cum neq; ipsi abesse lex permittat, neq; ægrotos atq; senes aliter bello liberat, nisi alios habeant qui eorū nomine publicā expeditionē bellicā obire possint. Itaq; palam est neminē immunē esse debere, neq; Regē lex abesse permittit, neq; ægrotis atq; senib; omnino immunitatē concedit. Quare cū iā constet istos preter ius & æquū abesse nulla tā iusta causa esse potuit, quæ illos à bello excusare possit. Nam quod

Dominus Castellanus Posnaniens. ideo domi-
nere iussus est, vt maioris Poloniae fines ab Germa-
nia defederet, nō satis hæc iusta ac legitima cau-
sa manendi visa est. Quo enim pacto exiguus
ille militum numerus, illā Poloniae orā tuebitur,
cum illi ipsi, qui illa loca incolunt, cum domi præ-
sentes sint, ab Germanicis excursionib⁹ illam Pol-
oniae partē se tueri nō posse dicant. Videbitur iā
profecto, quod leges mosq; maiorum in hoc bello
gerendo cessarūt, nihilq; legitimè factum, noua
& insolita omnia. Nam quo in bellum profecti su-
mus, alij iam pridē ad diem locūq; constitutū ad-
sunt, alij domo vix egressi sunt. Nos vero eorum
aduentū expectantes, hic cum magno detrimento
& incommodo nostro atq; amicorum nostrorum,
quos frumento & rebus necessarijs exhaustimus,
consedimus. In Regem eius culpam transferunt,
quod is missis in prouincias literis, multos à pro-
fectione remoratus sit, cuius rei testes in nobis
sunt quam plurimi. Nouo modo, inusitato more
hæc fiunt, quibus nisi occurramus, nihil est quod
Rempub. saluam diu putemus fore. Quid enim est,
quod eā conseruare possit. Si nihil valebunt leges,
nihil constituta maiorum, si bellum nulla neces-
sitate publica indicetur, Alij immunitatibus belli-
cis, alij dilationibus à bello sibi abesse licere puta-
uerunt, & Rempub. nudatam suo praesidio hosti
reliquerunt. Ita fiet vt Rempub. quā iam vix tene-
mus, nullam omnino habeamus. An in hoc solū
& non

& non in alijs violatam esse libertatē nostram que-
ri possimus. Quid illud quod multis per vim bo-
na & fortuna adempta sunt. Certē si in iure pu-
blico nulla fortunis nostris spes relicta est, quid
est quod amplius sperare debemus. Rescinduntur
decreta, Violatur priuilegia, indicta causa damna-
mur, bonis nostris pellimur, sola Regni manda-
ti autoritate fortunis omnibus priuamur. Sed in-
tantis iniurijs & publica Regni Poloniae queri-
monia, quem potissimum censebimus, in quem
culpā omnē conferemus. Preter vos habemus ne-
minē. Vos enī in his sedib⁹ honorū & dignitatis tu-
tores suos Respub. constituit. Vos patronos legū
& maiestatis suae autores voluit. Quare spoliata
Respub. vestro Patrocinijs, oppressa verò, Sena-
toria autoritate in tantas miserias deuenimus. I-
deo rogamus, vt pristinam dignitatē & Senato-
riā autoritatē resumatis & dignitatem Reip. cum
libertate nostra defendatis. Eximite nos ex his la-
queis, quos nescio quod fatū Reipub. in nos no-
strasq; fortunas induit. Metrica quā vocāt, est inuē-
ta, vt hoc colore nostris bonis æquius exuti vide-
amur esse. Regia Maiestas nō Metricā sed registra
Cācellariā, vt sunt appellanda purat, nos quo no-
mine vocatur nō quærimus, sed eā certe hæctenus
nocētissimā experti sumus. Testis est Bollestraszye
ki qui ne bonis patrijs atq; auitis spoliatur, in opti-
ma sua causā misere metuit. Quid de Kictliński di-
cā? & multis alijs quorū possessiones, ac fortunas
hæc

hæc Metrica reddidit dubias. Quare cum vndiq;
rantis difficultatibus Rempub. circumdatâ esse vi-
deatis expergiscimini aliquando vt patriâ præsen-
ti & futuro periculo liberetis. Hæc iâ mala, quæ
dixi, nostra videt ætas sed illa etiam futura timere,
& inprimis providere debemus. Successor Regiæ
Maiestatis electus & coronatus Sernissimus Rex
futurus est, in hoc educando & ad futura regni
gubernacula instituendo summa cura & diligentia
adhibenda est. Plurimum enim interest quibus eû
adolescens viuat, quo doleat, quo gaudeat, qui-
bus delectetur studijs. Dubium enim nō est cum
talem in gubernando Regno futurum qualis e-
ducatio præcesserit. Atque vtinam is ad hunc exer-
citum deductus fuisset à patre, cognouisset pro-
fecto in qua Rempub. esset regnaturus, quibus ar-
tibus eam esset conseruaturus: hos subditos hoc
robur Reipub. suæ, hic apertè & palàm conspe-
xisset, quod satius fuisset, quam in mulierum cœ-
tum & puellarum grege Cracouiensibus choreis
& cantibus indulgere. Quamobrem petimus à vo-
bis cuncti, vt deris operam, quo sua Maiestas di-
gnis bono rege artibus & honesta disciplina ita in-
firmatur, vt dignus tanto regno & idoneus sum-
mo imperio esse videatur. Scitis quæ mala per
improbas educationes Principum in multas Res-
pub. inuecta fuerint, quot nationes, quot inte-
græ gentes corruptis moribus Principum interie-
rint

rint. Vnam ex multis proferam Vngariam vici-
nam, quæ educatione iuuenis Ludouici Regis
funditus corruit. His exemplis moniti prospice-
re debemus, ne quid nobis simile accidat. Sed
iam iuuenem Regem honestis artibus bonorum
in conuictu ita muniamus, vt paratus ad Rem-
pub. accedat, illas paternis atque auitis artibus
gubernet. Quod si hæc neglecta fuerint, Veren-
dum est ne ea mala te ipsa experiamur, quæ ex
vicinis ipsi audimus. Quare toto conatu in Rem-
pub. ineumbite, omnes partes eius circumspecite,
ea quæ paucorum annorum læsit negligentia
integra nobis restituite, ita fiet, vt optimis legi-
bus constituto atque firmato regno, in tranquil-
litate mutuaque benevolentia cum Serenissimo
Rege nostro viuemus, eiusque successorem,
dignum tanto patre filiū dignum hæc Rep.
Regem expectare possimus quod vt
quam primum fiat, petimus.

Cum Petrus Malogostensis Castellanus
finem dicendi fecisset, iuxta circumstantans
multitudo, clamore ita se de Rempub:
sentire significauit, hunc secutus
Xięski ita locutus est.

IN quanto Respub: versetur discrimine, Pe-
trus Zborowski copiose grauitaque exposuit,
qua in

qua in re illud mirandum minimè est, si his incommodis ex commutata Reipub. ratione affecti sumus. Nā patrum membra, quod ego longioris ætatis beneficio meminisse debeo, horum omnium malorū, quæ nostra videt ætas, iam tum in Rep. spargebantur semina, peregrini influebant mores, disciplina mosque primus externis nitebatur institutis. Quare iam tum diuini illi viri, Princeps Senatus, Tarnouj, Kmithæ aliq̄ue ex primoribus familijs metuebāt casus Reip. Hæc mala omnia tanquam aliquam tempestatem futuram videbant, & ne acciderent summis viribus obstitiebāt. Quæ ego ideo commemoravi, vt eorum exemplo, ad defendendam Patriam libertatemque communē vos paratiores & promptiores redderem. Potestis inquam maiorum vestrorum sustinere gloriam, quam illi vobis cū amplissimum quoddam virtutis suæ patrimonium reliquerunt. Hanc enim illi præcipuam laudem putabant vt in libera morentur patria & vt eam vobis quam florētissimam rebus omnibus relinquerent, Hæc enim nil vos mouerunt, sed victi auaritia atque luxu, quæ semper maxima euerterunt imperia, deseruistis Rempub: & eam Senatorio Patrocinio orbaram reliquistis. Hæc nisi corrigatis, nisi omnes cogitationes vestras ad Rempub: conferatis, Verendum nobis profecto est ne illa amissa nos stare diu incolumes possimus. Quare relicta priuatorum cura, infer-

ra, inferte oculos in Rempub: atquē omnes eius partes introspicite, videbitis in ea salui nil, publica violata, priuata erepta esse reperietis. Vos his malis mederi debetis. Vos iura, leges, libertatemque denique nobis restituetis oportet, & hanc esse summam laudem putate, quam ex conseruata Reipub. habebitis.

Cum Xielki breuiter perorasset, Valentinus Dabieński surrexit & in hanc sententiam verba fecit.

ET si qui ante me dixerunt, ita de summa Reip: locuti sunt, vt eorum oratio singula notaret vulnera, & quomodo his medendum sit ostenderet: Tamen hoc ipsum amplissimus Equester ordo per me repeti voluit, vt illud ipsum quod ante sepe in conuentionibus coram, & in comitijs per legatos à vobis petebat, nunc præsens ipse à vobis impetraret. Pollicebamini publice & priuatim vestro patrocinio Rempub: nunquam caritaram, nullum tamen adhuc est vestrum factum, quod preces nostras aliquid momenti apud vos habuisse testari possit: Imo quasi omnium rerum ignari nihil vos videre, quod in Republica corrigendum sit aperte confessi estis. Hoc quor-

quorsum pertineat, nondum sanè perspicimus, illud quod negari non potest. Rempub. à vobis negligi. Nam ni ita esset non sic de Repub. sentiretis. Vobis solis ignota sunt mala nostra, vobis tantum in Polonia peregrinantur aures. Antequam illud vobis incognitum & inauditum esse diceris, quod viro clarissimo & nobilissimo ordinis vestri Stanislaò Odrowas Palatino Podoliæ videntibus sentientibusq; vobis bona erepta sunt. Quæ gens, quæ natio, tam remota fuit, ad quam illius facti fama non peruenerit, quæ hoc facto non ingemuerit, quæ communi humanitatis sensu non indoluerit. Vestræ tamen nostras miseria non capiunt aures. Vos soli ex omnibus estis reperti, qui nullum in Repub. peccatum corrigendum esse putetis. Huc accedit, vt iura, leges, bona, fortunasque nostras, tacentibus conuenientibusq; vobis amitramus. Neq; illud dici potest. ob admissum in Regiam Maiestatem delictum Palatinum Podoliæ bonis fortunisque exutum: Si enim is deliquisset, lueret, iustas ac debitas REGI pœnas, sed non ea ratione qua publica violata est libertas. Ita enim illius ius cum nostro coniunctum est, vt vnum sine altero nec stare, nec ruere possit, cui rei si vos autoritate Senatoria obstiteritis nunquam in has miseria deuenissemus. Sed hoc malum à vobis neglectum latenter serpendo totam inuasit Rempub. peruer-

ut leges

tit leges. priuilegia discerpfit. Lithyńskich fortunis omnibus exuit, Kasanowskich indicta causa cecit. Missos facio cæteros, quibus pestem exiliumque certum minatur. Dicite mihi si potestis saluam esse Rempub. & in ea nihil corrigi oportere. Quid, an ne illa quidem ad perniciem, via satis idonea vobis videtur? Reginalem Maiestatem multa bona regalia redemisse scitis. Quos præfectos, quos Magistros vrbebus atque opidis redemptis præfecit. Homines partim peregrinos, partim nobis incognitos, partim ad eas præfecturas gerendas qui in illa prouincia non tantum possessionis habent, quantum liceat illis pedem ponere, quo fit vt ad inferendam nobis iniuriam promptiores sint. Quid enim facias illi, qui præter quam quod in possessionatus sit, nil citationes tuas, nil ius publicum meruit, Causam omnem citatus ad Reginalem Maiestatem reijcit. Ita autoritate suæ Maiestatis interposita multi voluntatem persequendæ litis cum spe obtinendæ amittunt, & in optima sua causa litem deserunt. Sapientissime id à maioribus constitutum fuit vt nemo ex genere Ducali aliquid in Regno Poloniæ possideret. Timebant enim illi, ne multitudo Principum in angustum redigeret libertatem nostram. Videatis cum à veterum sententia discedimus quæ pericula adeamus. Duces in Regno maiores nostri, quo liberiores essent, fer-

re non potuerunt. Nos peregrinos homines præfectos, ignotos feremus? Regem illi & Senatum legibus obedire volebant, nos istos homines uos, opidorumque præfectos solutos legibus ac supra leges esse patiemur? Neminem illi nisi possessionatum præesse præfecturis volebant. Nos egenis atque alienis Regnum in opidis ac Prouincijs nostris concedimus. At in hæc honorum Regalium redemptione non tantum hæc incōmoda, quæ commemorauimus patimur, sed vel maximo damno, Respub. afficitur. Reginalis Meiestas bona redemit eorum nomine, qui facere idem nobiscū debebant, at nil hoc tempore videmus. Nemo enim in hac expeditione est, qui suæ Majestatis nomine pro bonis redemptis in hoc bellum profectus sit. Hoc exemplum ceteri bonorum Regalium possessores inuitati, manserunt domi quam plurimi, nos miseri domo, coniungibus & liberis nostris relictis, agris pro armis oppignoratis, huc profecti sumus, domi interea illi manentes, rei suæ studentes pecuniam colligunt, hoc consilio credo, ut nos omnibus rebus in bello exhaustos egenos ac miseros domum redeuntés, excipiant, & id quod relictum fuerit ex bello, emungāt. Hæc an æqua sint, an etiam legitima, iudicate. Quare cum videatis quid corrigendum, quidque à vobis restituendum sit, suscipite aliquando causam Reipub. vim legum autoritatem

ritatem iudiciorum defendite, præfecti opidis & Prouincijs, ut digni & integri sint, curate, nos fortunatq; nostras in Senatoriam curam suscipite. Nolite pati nos seruire alicui nisi legibus, quibus volumus & debemus Dixi.

Cum Dabieński finem fecisset Ioannes Sirakowski ita secutus est.

ETSI omnia quæ de Repub. dici debebant per eos qui ante me dixerunt vobis palàm & apertè exposita sunt: Tamen cum vniuscuiusq; nostrum in Repub. nota vox esse debeat, ego quoq; in hac corona surexi, & ut ea quæ de Repub. sentirem, & ea quæ iussus essem dicerem. Omnibus prioribus concionibus id vnum à vobis perimus, ut si quid sit commissum contra leges, id opera vestra in integrū restituarur. At quò pacto quaque ratione id fiet, cum in ipso Senatu, in ipsa curia, quam arcē legum & domiciliū libertatis maiores nostri esse volebāt, violatum ius publicum esse videamus. A quibus si queritis? à vobis, qui publici consilij autores, & tutores patriæ esse debuistis. Vos ne quid de libertate nostra diminueretur ne quid cōtra leges fieret providere, par erat. At nūc tātū abest, ut aliorū vim à legibus, nostris repelleretis, ut etiā ipsi in his grauissimè offēderitis. Magistratū multos, prouincias nō paucas contra

M 2

leges

leges obtinetis, quo pacto aliorum audaciam cōprimetis, cum vos ipsos regere non potestis? quomodo legibus alijs obedire præcipietis, si vos ipsi legum præcepta & monita contemnitis? Vobis hanc legem prius præscribatis, secundum quam alios viuere vultis. Malum esse dicitis non parere legibus, & recte putatis, quod omnis oratio si effectus dissenserit, vana & inanis habetur. Corrigenđū esse, si quid erratū esset, conceditis, rectè sane. Sed vos ipsos, vt prius corrigaris, oportet. Bona adempta nobis restitui putatis, & quæ vos Patriæ ademitis non restituetis. Palatinatus Castellanus Præfecturas, Cancellariatibus, iura, leges, possessiones, hoc totum Patrimonium Reipub. est, quæ vos contra iura obtinetis. Quare si Reipub. saluam esse vultis, hæc illi restituatis necesse est, quæ illi contra leges ademitis. Quod si non feceritis, nihil est quod Reipub. corrigi posse putetis. Quare vos oramus & obtestamur, ne hanc Patriam vestram communem, ornamentis suis denuderis. Hos Magistratus, quos vobis promeritis tribuit. capere. Si quid verò iniusta alicuius autoritate vel gratia vobis datum est, id illi vltro restituite, neque illam cogite ad illud postremum confugere remedium, quod illi maiores nostri Ileris, Syngraphis ac sigillis suis consignatum relinquerunt, illudque vernacula lingua Kapturek appellarunt, quod

quod credo ab illis excogitatum fuisse, vt nemo tam ignauus, tam illorum disimilis, in Rep. inueniretur, qui illo fædere si lis in Repub. oriretur ad tuendam libertatem communem non inuitaretur. Sed nos persuasi sumus, nihil esse quod nobis iusta & æqua petentibus, à vobis negari possit. Iraque nunc iam accedemus ad Reipub. vt creata atque recreata vires suas & ornamenta bonorum & dignitatis suæ recuperare possit, sed vos incipite, vt dixi, & ea quæ non legitime possidetis illi reddite, hæc ratione optime Reipub. consulatis. Dixi.

Orationem superiorem Pardzniczewski taliter subsecutus est.

NON iam per legatos, sed ipsi vno ore vniuersi, à vobis petimus, vt nobis sensum de Reipub. vestrum aliquem aperiat. Delectat ne vos Reipub. status, quem vos oculis vestris subiectum & explicatum esse videtis. Equidem si hac mente vos esse sciremus, victi abiremus hoc ex campo, neq; in diuersissimis vestris sententijs locum esse vllum precibus putaremus. Quid discerimus, aut eur non mox communi opera Reipub. ex his difficultatibus & periculis liberamus? Veniat vobis in mentem maiorum vestrorum, qui hæc tanta reddiderunt. Hac vna ratione concordia nostra

dia nostra quam illi certam vobis reliquerunt si necesse erit, omnia quæ amissimus facile recuperabimus. Itaque si quid ante erratum sit, si quid commodi priuati amor fecerat, illum hoc iam tempore deponamus, & obliuionum, solam Rempub. hoc tempore curremus. A Regia Maiestate vnanimi consensu petamus, vt nostra studia adiuuet & expleat, Rempub. legibus gubernet, iura liberalitatemque nostram foueat, & conseruet. Hoc pacto & nobis & Reipub. à vobis satisfactum esse videbitur. Dixi.

Oratio Gomoliński notarij Siradiensis.

SI damna ac incommoda vos latebant Reipub. si de his antea dubitabatis, nunc omnem dubitationem sublaram, & omnia explorata vobis videtis. Nihil iam vos excusare poterit; nec erit in quem alium culpam refferatis. Quidquid enim de libertate nostra detractatum est, id euidentissimis rationibus, & testibus planum vobis fecimus. Et ne vobis vires in Repub. defendenda desint, Nos hic adsumus, omnem operam, curam, diligentiam in iuuanda Repub. deferimus. Quid restat igitur illud certè, vt summa Senatoria grauitate, nobiscum vna in Repub. incumbatis, idque palam vos velle declaretis, hoc tempore à Regia Maiestate petamus. Illi iura, leges, Priuilegia

uilegia nostra monstremus, vt quanta minutio omnium horum facta sit videat, & id quod detractum sit libertati nostræ, restituat nobis, quod ille non grauatim faciet. Quid enim hoc Rege mitius? quid clementius? quid Sanctius vnquam fuit? Verum quò res commodius confici possit, deligatis vos ex ordine Senatorio aliquos, nos etiam hoc ipsum faciemus, ne turba Regi molesta sit. Per hos paucos ex omnibus ordinibus delectos, causam suæ Maiestati nostram exponemus. Nam quod ad proxima Comititia trahi putetis, causa non est. Cur enim id per legatos nostros curabimus cum id ipsum nos transigere commode possimus? Aut cur meo legato charior rerum mearum cura, quam mihi ipsi esse debeat, Quòobrem id quod omnes vos attingat excutiamus primum, & id, quod saluti Reipublicæ ostat recuperemus. Constituite ergo primò domi Rempublicam, hoc si feceritis, ducite nos in hostem què vultis, has hastas hæc arma, salua domi libertate, viros habere dicetis. Dixi.

Cum Gomoliński breuiter perorasset Tafzycki prudentissimus & disertissimus Senex, magno omnium silentio ita exorsus est,

M 4

Respub.

RESpublica si loqui posset, hæc voce vteretur, qua nos superioribus cōcionibus vsi sumus, sed cum id non potest, nos illius mentem ac sententiam vobis retulimus. Collectis enim omnibus prouincijs eundem omnium sensum in Repub. inuenimus. Neque illud dici potest, non omnium hanc esse sententiam, circumstant nos vndique vt videtis, audiunt singula, quæ nostræ fidei ab illis commissa sunt, Verumenimvero in hæc perturbatione rerum omnium, illud nobis acerbissimum accidit, quod vno eodemq; tempore, in has molestias Serenissimus Rex incidit senex hostis & Resp. hunc conuiescere non finit. hic quidem arma, illa leges ab eo postulat. Quibus rebus tam diuersis, tanquam mutuo dissidentibus, vno tempore satisfacere difficillimum est. Si enim senectuti parcimus, armatum hostem metuemus: si in hostem tendimus, Rempub. deserimus. Qua in re & si quod deligendum est statuere non sit facile in hoc tamen nobis dabitur venia, si charitatem Patriæ anteponamus. Fatemur illam infamiam calamitatem superiore sociorū & amicorum nostrorum Pokucieñ. conceptam, non esse ferendam. Indignamur seruum nostrum ruptis seruitutis ergastulis, arma impia aduersus nos induisse, tū etiam illud dolendum magis, audiet enim hostis disensiones nostras, Regem non bellandi animo
Craco-

Cracouia profectum esse intelliget. Qui enim perdiratus, quæ turmæ militum, quæ arma, quæ tormenta, Regem proficiscentem comitata sunt? Ad hæc Palatinos Castellanosque plurimos domi manere iussit, hæc causâ, vt Poloniæ fines ab Germanis custodiant. Quod si illi senes præsidio impositi satis muniti sint, cum constet Valachum in Vngariam partem sui exercitus mississe. Causam non videmus, cur ab Germania Rempub. quam ab Vngaria tutior esse debeat. Sed vt demus præsidio illam Poloniæ oram indiguisse, hoc certè Regia opera priuata esse debuit. In hoc enim sunt præfecturæ Regiæ à Repub. datae, vt inde Rex præfectis suis fines Regni communitat. Sed vt ad rem redeam, quo animo hostem futurum putatis, vbi ab exploratoribus, quorum hic magnus est numerus, cognouerit, Regem ita in hoc bellum esse profectum, vt nihil sibi hoc tempore metuendum sit. In quibus angustijs Rempub. constituta sit, videtis. Hinc hostes, hinc patria nostra operam postulat nostram, ibi armis, milite, copijs res gerenda est, hic legibus libertate ac iudicij Rempub. constituenda est. Igitur cum ambas res sufferre simul non possumus, incipiamus ab ea, sine qua neq; foris, neq; domi recti quicquam esse potest, Rempub. collapiam erigamus, erectam optimis legibus atque maiorum institutis confirmemus, Tum demum pro illa, arma, fortunas, vitâ potestremò

stremo nostram si opus fuerit, hosti obiciamus. Quid enim sibi hæc arma, hi Equiratus quos oculis cernitis volunt, quã vt Reipub. arceamus hostẽ. Quamobrem curate prius atque efficite, vt sit id, quo defendendum sit. Nam si domi salui sit nihil, omnes nostri impetus foris inanes censendi sunt. Dixi.

Oratio Martini Zborowsky pincernæ
Cracouiensis.

Vetus & peruulgata est hæc Reipub. querela, sic in ea discrepare omnia, vt nullis legibus nullo modo continere videatur. Si enim in eam diligentius introspiciatis, perturbatam peregrinis consilijs inuenieris, in ea nihil posse leges, sed omnia ita mutata vt non legitimos Magistratus, Palatinos, Castellanos, præfectos habeamus, sed eos coacti feramus, quos nobis fors & fortuna dederit. Itaq; hac consuetudine introducta, in hac publica expeditione exercitus nostri sine ductore, sine Capitano sunt. Et adhuc quidem nos reprehendunt, quod in his malis Reipub. extinctis atque sublatis legibus, nos viuere Spiritumq; liberum ducere audeamus. Verum qui hoc dicunt, in medium prodeant Leges nostras inspiciant, nos doceant, quid iniquum, quid contra leges petamus. Nulla nostra in Reipub. vnquam fuit, quæ non ex ipsis legum nostrarum

strarum fontibus educta esse videatur. Vt Reipub. leges quæ violatæ sunt, restituantur. Magistratus contra leges mandati reddantur. Hoc nos petimus, hoc à vobis & à Rege summis precibus contendimus. Hoc iam si iniquum, etiam iniquum sit in Reipub. viuere. An sutoribus, fabris, & vilissimis hominibus libertate frui licebit? huic militiæ, quod robur & firmamentum Regni Poloniæ est, leges suas saluas præstare non licebit, soli ne nos in Reipub. seruiemus? Solum legibus & libertate carebimus? Quis vnquam peregrinus in sua patria tam contemptus fuit, qui in Polonia Principem locum non tenuerit. Qui in Magistratus, & sacerdotia nostra non inuasit? Maiores nostri Palatinatus, Castellanus, præfecturas vice Patrimonij nobis reliquerunt: tamen ex his pulsi ab Italis, eiectione à Germanis, in minima Patriæ nostræ parte, sine iure, sine legibus confedimus, & inferiores peregrinis reputati sumus. Harum rerum nulla eos tangit misericordia, qui in libera patria peregrinis subiecti sumus. Quod illi nobis anteponatur, quod libertate & legibus euersis in publicis Reipub. miseris illi dominatur. Solum Reipub. virtute maiorum amisimus, quæ nisi recuperemus, hæc Reipub. diu stare non potest villo modo, nam adhuc quocumque modo erratum est, vobis volentibus facile corrigi potest. Verum si neglectum hoc malum longius serpendo vires sumpserit, nullum

lum nocendi finem faciet. Iam ergo audistis, quid in Repub: corrigendum sit, notata & explicata à nobis sunt singula. Viam & modum ad ea restituenda demonstrauimus vobis ita vt si vos adnixi fueritis, iura, leges, Magistratus, omnia ornamenta sua Respub. facile recuperabit. Dixi.

His omnibus dictis & actis videbatur adesse tempus. Vt Senatus quid ad ea postulata nobilitatis, respōdēdū esset, consulere, vt re in Senatu priuatim deliberata publicè nobilitati responderetur. Verum nobilitas tempus venisse arbitrata, quo quid quisque Senator de Repub. sentiret scire possent, vt publice rogati sententias dicerent, orant. Cui sententiæ primum reclamatum est. Erat autem, vt Senatui videbatur iniqua & noua, tamen cum tota circumstans multitudo instaret, tergiuersandi non erat locus.

Primus Ioānes Tarnouius Castellanus Cracouiensis rogatus, summum studium, & tantam nobilitatis in Repub: consensionē singularibus colaudat verbis. Summa istius orationis erat, non esse ad eā rem tēpus vt dimisso bello & neglecto hoste nunc de legibus, iudicijs ac priuatis controuersijs disceptetur. Ridiculum esse inter Castra, inter arma de statutis & huiusmodi reb: disserere. Itaq; rē omnem ad comitia trahebat proxima, & omnium animos aduersus hostem transferebat. Longa fuit oratio hæc & copiosa, sed sapius interpellata
sapius

sæpius intercepta fuit, rectēne an secus, nescio. Hoc certissimum est perturbatis hominum mentibus persuadere & consulere, difficile esse. Nondum dicendi finem fecerat, ingens subito coorta est tempestas. Petro Kmithæ Palatino Cracouiensi qui secundus in ordine in dicenda sententia fuit, vix dicere incipienti tanta vis nimborum ingruit, vt nobis cælum concionemq; nostrā ex oculis eriperet. Turbata concione, soluta Corona Senatoria in illa obscurissima nocte, & grauissima procella facile illud malum diu celatum, & animis multitudinis clausum tum erupit. Equis multi in medium insiluere, primores è Senatu iactati in turba fuerūt, tantamq; tempus, licentiam dabat, vt si samæ credendum sit, multi nudatis gladijs in turba discurrerent. Quosdam Principes Senatus armati vocabāt. Verum illa ipsa seuissima tempestas, quæ ad facinus non nullos firmabat, Dignitatem Senatoriam turata est. Indurique Senatores cum se aliquando ex turba illa euoluissent, equis, quos fors & fortuna dabat conscensis, in urbem se celeriter receperunt. Res mira profecto & mirabilis. Vt statuere facile non possis, boninè an mali plus illud tempus Reipub: attulerit. Postridiè nobilitas nūcios ad Regiam Maiestatem & ad Senatum mittit rogans, Vt in eundem Campum regrederentur & quod heri tempestate disturbatum est, continuarent. Senatus quod hesternam concionem suspectam ha-

eram habuit, egredi volebat, sed ut die sequenti nobilitatis legati in urbem conuenirent periret. Quod nobilitas facile suscepit. Die itaque 24. Augusti Senatus & nuncij ad ædem S. Francisci collecti inter columnas, quæ porticus magna sōtē cingit confederunt, in quibus primus Petrus Zborowski Castellanus Malogosteñ. nobilitatis nomine ira exorsus est.

Oratio Petri Zborowsky.

SI quando à Dijs immortalibus petiistis, ut esset aliquod tempus, quo Senatoriam prudentiam, auctoritatem, fidem demonstrare possitis, id vobis hoc tempore diuinitus datum, atq; oblatum esse, videtis. Neque enim nunc rem aliquam vilem & abiectam, sed Rempub. & libertatem nostram, in fidem & auctoritatem vestram contulimus. Hic enim campus amplissimus & honestissimus vobis datus est, in quo vos omnes vires virtutis & industriæ vestræ ostēdere possitis. Quæ enim alia Senatoris boni laus esse potest quam si is indifficillimo Reipub. tempore Remp. iuaret, defenderit atq; conseruauerit? Hac mente vos esse ac semper fuisse tum superior, tum præfēs concio indicat. In qua vos vna nobiscum solliciti, periculū à Repub. legibus & libertate nostrâ repellitis. Grata nobis est in malis nostris, hæc singularis

singularis vestra erga nos voluntas, quæ hoc efficit, ut in summa rerum omnium desperatione, aliquid iam sperare incipiamus. Ostendistis enim nobis nuper in campo præclarâ retinendæ Patriæ dignitatis & libertatis nostræ opē. Cum enim vir clarissimus Ioānes Tarnouius studiū collaudaret nostrū, & postulata nostra iusta & æqua cōcederet, hunc eundē sensum esse vestrū omnium in Repub. dubitare nemo debet. Et si illa dubitatio tollatur, neq; nos à vobis, vlla in re dissentimus. Cum enim in campo hoc à vobis contendissemus, ut dareris operā, ut omnia quæ iusta & legitima à vobis postularemus, ea à se benignissimus Rex exorari pateretur, tū Ioānes Tarnouius hac de re ita disseruit, ut cum nobis omnia ferè cōcederentur, tamen ad ea transigenda idoneū tēpus adesse negabat. Verū si nulla alia dubitatio in hac causa preter hæc est, ea à vobis diligēter cognoscēda. Ut neq; temere à vobis in re probata dissentiamus, neq; vos in optima nostra causa alienū à dignitate vestra nobiscum cōsentire putetis. Si enim tēpus causæ nostræ obstare crederemus, neq; locū esse in angusto tēpore postularis nostris putarem, taceremus. Verū cū nihil sit, quod vel ab oportunitate tēporis, vel ab cōmoditate loci cōcedi oportuit quod hoc tēpore cōcessum nobis nō sit, nescio cur aliā occasionē constituēdæ R. P. quærat. Presertim verò prætermittere nolumus, sic enim ego cōseo in re quæ celeriter transigi, & cito cōfici debet, tria inesse oportere, breuitatem facilitatem

facilitatem, & temporis oportunitatem, qualia in hac causa sint breuiter consideremus, & vt de breuitate post dicam, quis est qui neget proximis comitijs ita acta & clausa esse omnia, vt pauca supersint quæ derelicta & in aliud tempus esse reiecta videantur. Nisi fortè illa comitia fuisse quis neget, reperti enim sunt quidam qui hoc affirmare nō dubitarent, quibus satisfaciet res ipsa. Quis enim neget illa demum comitia vere dici oportere quorum acta & decreta sunt sortita suum effectum. Ideo cum sciamus comitorum decreto susceptum esse bellum, & monetam qui probarēt electos, & alia permulta rata & firma esse, quæ nūquam fuissent, nisi illa comitia præcessissent. Cum itaq; maximā partem postulatorum nostrorum autoritate comitorum terminauerimus hac quæ restant pauca & modica sunt, & vobis volentibus factū facillima. Quid enim negotij est; quæ inique ademeris, restituere; & quæ violaueris, reficere? Neq; ad eam rē indicio, & longa disceptatione opus est sed verbo vno, & nutu Regio. Neq; est quod aliud tempus, alium cognoscendæ rei locum magis idoneum quæramus, hic est Rex, hic Senatus, hic rei, hic iudices, quæ omnia si cōtemnimus, verendū nobis est, ne non incommodum tempus, sed causam iustam & æquam contempsisse videamur, superest iam vt tempus ipsum inspiciamus. Nemo Rempub; leges, libertatem in summū periculum adducta esse nescit, nonne

nonne videris, nondum ne sentitis, quot & quantis malis circumuenti sumus. Quis enim est, qui possessionum suarum Dominum se dicere audeat. Qui aliquot præsidium innocentia suæ in legibus habeat! Euerfa & sublata sunt omnia, indicta causa plectimur, possessionibus nostris eijcimur, & ea quæ habemus vicinitate Reginalis Maiestatis angustiora possidemus; & adhuc vos tantis Reipub. curandæ incommodis tempus nō adesse contenditis? Et certe si vos amor Patriæ & aliqua Reipub. tangeret misericordia, hanc causam non prius emanibus dimitteretis, quam omnia Reipub. vulnera sanaretis. Verum si toto conatu in Rempub. incumbetis, biduum vobis ad hanc rem opus est, si enim nostræ leges adhuc aliquid valent, facile in pristinam vendicabuntur libertatem. Ex quibus omnibus illa omniū saluberrima & cælitus delapsa lex est. Vt omnes æquales in Repub. simus, & vt vicini nostri equitate Iuris vt conciuēs colligati inter se sint. De genere Ducum nemo in nobis sit, nihil in hac Repub. possideat. Sapienter hic maiores nostri, viderunt malam esse in Repub. pluralitatem principum, sed eam esse Rempub. optimam, in qua vno legitimè & secundum iura nostra imperiū tenete, ceteri obediunt, & inter se æqualiter viuunt. Itaque hac eadem moderatione & continentia Regum vxores in hac Repub. viuere solebant.

lebant. Et sic ingrediebantur in Poloniam, nō vt in ea regnarent sed vt consortes Regalis thalami fierent. Nulla penes has publica potestas, regimen publicum nullum, & breuiter. Hæc illarum summa erat Philosophia, vt Ira commorū Regem contra subditum placarent, & eum ad misericordiam deducerent, sed nostris temporibus omnia secus eueniunt. Tantum Regina potest quantum vult, tantum vult quantum lubet, nullis certis finibus Philosophia eius circumsepta est. Sed totam Rempub. complexa nullis terminis definit ius suum. Huc accedit, vt metuendum sit, loco Regis plures **Duces** propediem nos habituros, quod ne temere prædixisse videamur, hinc futura colligite. **Regina** quatuor habet, in fallor filias, hæc, vt illorum dignitates postulant, Regibus & Principibus dabuntur nuptum, an putatis has bonis, quæ nunc possident carituras? Hæc ergo vos differenda, & in aliud tempus reicienda putabitis? Expergiscimini per Deos immortales, & angustias temporis aliquando incusare desinite? An ad res priuatas temporum nobis satis est ad constituendam Rempublicam ad depellendam seruitutem tempus nullum habebimus. Itaque iam videtis ad restituendam libertatem & constituendas leges opportunitatem tempo-

temporis nunc esse maximam, hanc nos accipiamus quamprimum, & ea dum adhuc licet vtamur. Charam habemus patriam, tueamur leges, & si quid in eis erratum sit non dimittamus tempus sed illud quamprimum corrigamus, ne dum tempus ex tempore querimus prius

Respub. pereat, quam illi medicinam adferamus. Dixi.

Oratio Thaszyccki.

Cum Petrus Zborowsky finem dicendi fecisset, eius oratione Senatus commoueri visus est, ita enim, apposite erat loquutus, vt oratio eius cum ratione temporis consentire vehementer videretur. Hunc sequutus Thaszyccki senex, qui ob singularem prudentiam & maximarum atque plurimarum rerum vsum, magnam in concionando auctoritatem, & in consulendo vim habebat, hic ita loquutus est.

Quibus incommodis prematur Respub. ex Petro Zborowski aperte intelligere potuistis. Et certe nisi quamprimum labentibus legibus succurri-

succurimus nullam Rempub: habebimus. Quis enim ignorat legem animam Reipub: esse, qua sublata Respub: salua esse non potest, hac enim viuit, hac regitur, ab hac eius omnes deriuantur sensus. Quare inuenti sunt Reges, delectus Senatus, constituti Iudices, qui ne leges vacilent in Repub: ne violentur, ne titubent, caueant. Legum enim Patroni sunt Reges. legum custodes Senatus, legum Ministri Iudices. Et quo maior Reipub: res est, eo pluribus indiget custodibus. Nemo vnquam fuit tam sapiens cunctis seculis repertus, vt solus in Repub. sufficeret. Vt eam sine aliorum ope rectè gubernare posset, quis enim qui & Rempub. varijs motibus agitari, & seuis impelli negotiorū fluctibus videat, eam sine ingenij & industria viribus tueri & sine aliorum adminiculis gubernari posse putet. Proinde sapientes vnū quidem in Repub. regere, sed plures iuuare Rempub. volunt. Quibus nos similes in custodienda Repub. esse debemus. Videtis quæ negotia, quæ varij casus & ancipites in hac Repub. orientur, ita vt solus sapientissimus Rex tantum onus vix aut ne vix quidem sustinere possit. Itaque quod etiam priori concione à vobis postulauimus idem nunc etiam efflagrandum duximus, vt Regia Maiestas talem habeat Senatum qui Rempub. regere possit, quod ille facile assequetur, si in comitijs idonei viri in Senatum legentur, & his

Magistra-

Magistratus mandentur, quorum spectata virtus & industria bonorum virorum testimonio comprobata sit. Verum cum nullum regnum iuuenire liceat, quod vacuum opere publico sit è Repub. videretur, Si tres Senatores & tres ex Equestri ordine eligerentur, qui integritate, fide, prudentia, vigilantia, Rēpub. assidue sustinere possēt, & tanto oneri pares & idonei forent, qui quotidianis Regis consilijs ex Senatus sententia & consensu adhiberentur, qui Regi præsto adesse deberent, hos præclaros legum nostrarum custodes, & Rex idoneos in Repub. gubernanda socios & consocios haberet. Illis scientibus tota gubernaretur Respub., hos custodes legum, hos tutores libertatum, hos procuratores iustitiæ, & æquitatis nostræ haberemus. Et si diligentes in Rep. fuerint, procuraciones cessabunt, & querellæ, & nostras omnium fortunas liberabunt metu, ita vt tam in publicis, quàm in priuatis rebus Resp. illorum firmata præsidio, ius ac libertatem suam & dignitatem facile retineat. Itaque rogamus & monemus vt cogitationes vestras ad Rempub. conferatis. Illi soli hoc tempore seruiatis, leges illius omni ex parte muniatis, eas legitimis Senatoribus idoneis Magistratibus deferatis quod si feceritis saluam & omnibus rebus florentissimam præstabitis Rempub. quod vt quamprimum fiat, rogamus, Dixi.

N 3

Siclo-

Sic loquutus Thafzycki, nemo fuit qui ab eo dissentiret, ita vt faciliorem dicendi locum Martino Zborowski relinqueret, qui post eum sic loquutus.

SI quis forte legum & consuetudinis nostras Sgnarus miratur, qui fiat quod hæc Respub. quæ quodam tempore florentissima fuit, nunc tota cominuta sit. Is nisi horum causam rationemque cognouerit, culpam omnem in vos conferat necesse est. Si enim in Senatum inspexerit, Palatinis, Castellanis, Cancellarijs, Marschalcis repletum Senatum videbit. Vos de bello, de pace cerneret, vos dare iura, leges dispensare, & breuiter nihil in Repub. sine auctoritate vestra statui & decerni audiet. Quamobrem si quid in Republica erratum sit, preter vos accusabit nullum. Quis enim est, qui cum sciat, vos ex omnibus Prouincijs delectos esse, ideo vt Rempublicam opera & consilio iuuertis, vos culpa carere dicat, si in Repub. viderit aliquid esse titubatum: nullum enim in Republica factum aut decretum nolentibus aut

bus aut nescientibus vobis esse debet. Ita vt si quid vnquam contra leges fieri videatis, hoc omnibus vestris viribus prohibere debeatis. Hoc enim munus & officium Senatoris est, nosse Rempub. tueri leges, æquiritatem tenere, libertatem communem ne fluctuet & labatur sustinere vigilare. Prætera. Multæ enim insidiæ legibus, multi libertati nostræ tenduntur laquei. Ita vt merito vos soli ex bene gesta Repub. laudem & si quid secus acciderit reprehensionem reportetis, neque vos huius culpæ partem Regiæ Maiestati imputare potestis. Nouimus consuetudinem Regij Consilij, mansuetudo & æquitas optimi Principis nobis nota est. Nihil ille inuitis, nihil inconsultis vobis statuit: ita vt si quid ad Senatum, de Repub. referatur, vobis antiquo more sententiæ dicendæ concedat locum, & inde collectis omnium vestris sententijs, ipse postremus quam sequatur & quam reiciat, ostendit. Ex quo palam est, Serenissimum Regem summam auctoritatem suam vestris temperare sententijs. Nam ni ita esset frustra sententias vestras exquireret, si eo animo in concilium veniret, vt nulla in re vobiscum consentiret. Quare illud nobis concedatis oportet, vt si quid alicui ademptum est, ideo ademptum est, quia vos adimi voluistis. Quare violatum est

aliquid? quia vos violari passi estis? quare leges sunt collapsæ, quia vos eis non succurristis, quare nunc nos serui sumus? quia liberos nos esse nolulistis. Hinc iam, vt videmus illæ nostræ oriuntur miseræ. Nihil valent in Senatu nostræ preces: legati nostri in Senatu contemnuntur, comitiorum decreta conscinduntur: quæ vultis nobis conceditis, quæ vultis negatis. Quæ & quot decreta in præteritis comitijs facta sunt? Quid proferre potestis, præter leuissima quædam, quæ suum sortita sunt effectum. Vnum ex multis proferam Magistratus & sacerdotia contra leges ne cui mandentur decretum est. Hoc decretum quam vim, quem effectum habuit: obseruatum ne per annū & minime, mense vno nequaquam. At saltem tri-duo & ne id quidem. Vix dum extra Cracouiam nostri protulerant pedem, cum summi Magistratus amplissima sacerdotia, contra leges & decreta, data & concessa sunt. Sileamus hoc tempore de Magistratib⁹: videamus quibus opima sacerdotia post illa comitia promissa sunt, alicuine de Repub. vel optime merito, aut nobilitate generis, aut doctrina claro, nullo modo. Sed fistulatores, tibicines, tympanistę diruperunt hæreditatem patrimonij nostri, decreta publica violarunt. Nos contempra turba & abiecta, nobis nostra seruamus decreta, vos dico aperte horum omnium maiorum estis causa: nã si vos voluissetis, mansissent

salua

salua comitiorum decreta neque vlla tam magna vis esse potuit, cui vos per autoritatē Senatoriam resistere nō potuissetis. Et adhuc ad malorum nostrorum cognitionē, præsens nō sufficere tempus sed longior opus esse contenditis: quod tempus, quæ est ista cognitio, An nō omnia plana, ita sunt aperta, vt non oculis cerni, sed manibus rãgi possint. Quis enim ignorat adempta multa: violata esse nō pauca: cōmutata omnia. Vos adhuc restituenda tempus esse nō putatis: sed nobis pro legibus literas, pro libertate promissa nescio quæ, ostenditis. Verum quid literis, quid promissis in re apertissima & vetustissima opus est, diplomate enim regio res nouę vt diurnæ sint indigent. Hæc vero decreta vetera & maiorum sunt instituta, & nulla re alia indigent, nisi vt ita in Repub. viuamus, quemadmodum veteres præcipiunt leges. Hoc enim illorum præceptum est, vt vnus sit Rex, vt sint legitimi Magistratus, vt iuste iudicetur & suum cuiq; reddatur, vt liberi simus, vt seruiamur nemini. Quare non literas sed libertatem nostram iuxta legum præscriptum à vobis repetimus. Cur hoc quod hodie restituere debetis alio tēpore à vobis expectabimus? cum sēper sit tēpus quo nos liberos in Repub. esse cōuenit. Rempub. ergo talem nobis hoc tempore restituatis, qualē in fidem & curam vestram accepistis. Vos enim vt sapienter Thaszkyky diseruit custodes libertatis nostræ

N 5

Etsi nobis & Reipub. satisfacere vultis, hæc nobis restituite, quæ negligenter amisistis. Dixi.

Cum Martinus Zborowsky perorasset omnis circumstantans multitudo rogabat Senatum, ut quid quisque sentiret palam & aperte ostenderet. Itaque Ioannes Tarnovius etsi non rogatus, respondit se non aliud de Republica sentire, quàm quod nuper in Campo ostendisset. Quapropter causa non erat, cur bis de eadem re diceret, quæ vero eius sententia fuit superius ostensum est. Itaque omnes in Petrum Kmitham Palatinum Cracoviensem oculos cõiecerunt, qui magna expectatione & summa omnium attentione sic exorsus est.

Oratio Petri Kmithæ Palatini Cracoviensis.

SI mihi nuper in campo de Repub. loqui licuisset, hoc biduo meam in Rempub. vocem vos expectare passus non essem. Quod enim tempus magis idoneum Senatoriæ demonstrandæ diligentia esse potuit, quam illud quod tota audiente Polonia

Polonia, quæ esset mea in Repub. mens & sententia testari potuissem. Verum hunc laudis fructum sua præripuit temporis procella, quæ nos non in illa hominum frequentia sed in his nunc columnis & rectorum angustijs de rebus maximis sententiam dicere coegit. Qua in re me tamen consolatur quod & si non eadem frequentia septimus, idem tamen studium in Rempub., omnium vestrum esse videamus. Quare in optimam spem venio, nos ita hodierno die acturos de Repub. ut eadem nobis pacem ac tranquillitatem, & ex hoste certam victoriam allatura sint. Duas enim adhuc controuersia nostræ animaduerti partes esse, ex quibus, ut ego puto, cum multa concedi, non nihil etiam remitti possit, causam non reperio, cur insanabiles hoc tempore dissensiones nostras esse putemus. Nam cum altera controuersia nostræ pars inuidia bonorum ademptorum videatur: Altera vero acta præteritorum comitorum, autoritate Senatus & legatorum vestrorum sancita rata esse cupiat, utriusque rei quoniam me loqui voluistis, satisfacere conabor. Qua de re ita loquar, ut vobis satis constet, quam de libertate fortunisque vestris sententiam feram, eam videlicet quam de me vos ferre velim. De hac enim libertate de his legibus hic queritur, quibus nos quoque sumus assequuti, quod in hac Republica aliquid esse nostrum dicere possumus. Hanc æqualitatem viris quam vos de-

vos defenditis, non oppugnabimus. Cum extra hanc nobis nihil salui possit esse. Nam etsi dignitate Senatoria superiores, libertate certè communi pares vobis sumus. Iisdem enim legibus, vno necessitudinis vinculo, vtrique astricti sumus. Itaque definite putare aliud esse vestrum commodum, aliud vestrum periculum, nihil est quod de vobis statuimus, quod in nos ipsos non redundet. Vos potestis dolere, nos ne simili doloris sensu afficiamur, oportet cauere. Quamobrè cum ita nobis omnia communia sunt, accedamus ad Rempub. & eius omnem partem collustremus oculis, & si qua laborare videtur, illi præsentem medicinam communi opera, si possumus afferamus. Qua in re hanc tamen adhibete moderatationem, vt quod sapiens suadet tempori nos accomodemus, illique in rebus omnibus pareamus, sine quo nihil in Repub. sanctum, nihil diuturnum decerni aut constitui potest. Quod si sequamur, facile has dissensiones animorum vitabimus, nam & hoc percommode cadit, quod multi dantur ad mutuam benevolentiam reditus. Si enim æquo animo rem nobiscum, estimare volueritis, inuenietis multa profectò esse quæ animos vestros placare, & vobis, imò nobis, satisfacere debeant. Quis enim est, qui non rectè contendere vos putet in educatione Serenissimi Regis iunioris salutem esse positam Reipub. Ex hoc enim Respub. & nostra

& nostra tota dependebit libertas, hinc nostras hauriemus leges: hinc fluent iudicia: istis fontibus iusticiæ vis & æquitas benignitasque continetur. Itaque quo maior Regiæ benignitatis est excellentia, eo nobis incumbendum est diligentius, vt Serenissimus Rex iunior optimis artibus & disciplinis regalibus à puero imbutus, dignus sapientissimo patre filius, & idoneus summo imperio esse videatur. Iuuenes enim cum meru & disciplina soluti, in voluptatem prolapsi fuerint, finem delinquendi nō cito faciunt. Habemus sapientissimum, prudentissimum filij patrem, is dies atque noctes, nihil aliud cogitat, quam vt post se talem relinquat filium, qui maiorum suorum respondeat virtuti. Ideo dubitare nemo debet, Regiam Maiestatem in educando filio ita diligentem esse, vt hæc spes, quæ ille incredibilem de se apud omnes excitat, non fallat. Quis adeo stupidus est, quis vos iusta postulare negare audeat, cum mericam quam vocant, non abolendam quidem, sed sic obstruendam censeris, ne eam auctoritatem, quæ omnibus iam metuenda esse cepit, amplius habeat, & ne cui in re vlla aliquo sit nocumento aut in commodo, sed tantum Regiæ Maiestati inuentarij loco sit. Sed vos maius quidem animo complexi ita Regiæ excellentiæ præstantiam ornandam & adiuvandam putastis, vt ei Senatū legitime electum consilio adesse velitis. Et certe rectè imperare,

rare, bene Rempub. gerere, iura dare, æquitate
 tueri, res ardua & omnium difficillima. Quare
 inuenus est Senatus vt ingrauiſſimis Reipub. ſe-
 rendis oneribus hos ſocios & conſortes glorioſi
 laboris Rex habeat, Itaque quales Senatores Reſ-
 pub. habeat plurimum intereſt. Quem enim in-
 curiam introducere, quem autorem publici con-
 ſilij eſſe velitis, eius vita tibi inſpicienda prius.
 An tu hanc Rempub. gerere poſſe dices, qui ſe-
 ipſum gerere neſciat. Quamobrem ne nullis ar-
 tibus inſtructi, nullo uſu rerum præditi, ſed rudes
 atque inermes, hanc ad Rempub. accedat, ope-
 ræ præcium fore videtur, vt quæadmodum poſtula-
 tis, magiſtratus, non niſi in comitijs mandaretur.
 Tum enim Regia beneficentia, de vita & mori-
 bus quem legere voluerit edocta, certius Magiſtra-
 tus mandare & in loco beneficia ſua collocare
 poterit. Si enim fiet vt boni viri, meritis ac de-
 bitis afficiantur honoribus, & indigni ad hono-
 res obrepere non audeant. Ne que illud etiam re-
 ſpiciendum eſſe cenſeo, ſed inprimis admittendū
 quod Maieſtatē Regiā niſquam ſolam eſſe vultis,
 ſed illi tres Senatores, tres ex Equeſtri ordine
 adiungitis, vt hi nunquam à latere eius diſce-
 dant. Vetus enim & peruulgatum eſt. Vbi mul-
 ta conſilia, ibi eſſe multam ſalutem. Quare hoc
 modo probè conſtituto concilio quis negabit,
 ita per-

ita perfectam eſſe Rempub. & vt eas res cum digni-
 tate & mutua beneuolentia merito iuuare debeat-
 mus. Neque illud impeditur quod ad Regi-
 ar. Maieſtatem attinet, hoc ipſum pro ſumma iua-
 præſentique in hanc Rempub. clementia cura-
 bit ne merito quis de ea queri poſſit. Præterea
 Sereniſſimus Rex hoc metu nos liberat, ne quid
 detrimenti ex ea parte Reſpub. capiat provide-
 bit. Videtis iam profectò cauſas cur diſſentire
 velimus nullas eſſe, ſi omnia quæ tempus pa-
 titur benigniſſime nobis Regia Maieſtas conce-
 dat. Nam & ea quæ in comitijs ex Senatus &
 legatorum noſtrorum ſententia ſunt acta veſtræ
 permittit voluntati. Hæc oratio nobis munificen-
 tiæ Regiæ argumento eſt cum magna ſignifica-
 tione egregiæ voluntatis, idcirco vt videtis a-
 cta tranſacta, conſeſſa ſunt vobis omnia. Et
 quo hæc nobis cautiore ſint, diplomate Regio,
hæc confirmata habebimus. Nam hæc in re à
 vobis vehementer diſſentio, quod hoc diplomate.
 Vos egere non putatis, quod & ipſe concedere-
 rem, ſi Sereniſſimus Rex perpetuo nobis ſtaret
 incolumis, verbum certe illius magnum & fir-
 mum nobis eſſet priuilegium. Regis enim ver-
bum non retro cedit. Sed quo incertior eſt om-
 nis vita, eo dum licet benigniſſimum Regis in nos
 beneficentiam perpetuam eſſe cupere debemus.
 Quare

Quare his opus esse censeo, ut eo pacto & cautiora nobis sint omnia, & optimi Principis liberalitas perpetuis illustretur monumentis. Quamobrem iam aliquando queri desinamus. Nam quod ad libertatem nostram pertineat, ab optimo principe nihil non exorauimus. concessa sunt omnia, quæ concedi poterant. Ita ut si quid hoc tempore, à Serenissimo Rege impetrare non potuissemus. Id iam non voluntati Regiæ sed tempori tribuendum est. Quis enim tam improbus est, ut bona contra æquum ac bonum adempta restituenda esse negetur. concedimus ita esse oportere, sed hic exoritur illa grauis & ardua quaestio, rectenè an iniuria adempta dicantur, quod iudicibus, legibus, actisque publicis expositum est, ad quam rem longo tempore tranquillo ac quieto animo opus est. Silent enim leges inter arma. Igitur cum Respub. nos alio vocet, nunc cuius gratia hunc ventum est hoc agamus. Hostis adest, ardet Russia, Resp. sine praesidio, sine milite relicta est, cui primo quoque tempore succurrendum est. An non audistis gemitus sociorum & amicorum nostrorum? qui amissis coniugibus ac liberis, pulsi ex Patria miserimi omnium vobis supplices manus tendunt: à vobis coniuges, liberos patriamque reperunt. Vos autores suæ salutis: Vos vindices libertatis esse clamitant. Non æquum est eos dissensionibus nostris esse calamitosos & miseros. Licet illis ar-

mis ve-

mis vestris, si coniuges, si liberos non possunt, saltem sepultam cinere excitare patriam, & eam integram cum non liceat, exustam, & adhuc fumantem intueri. Hoc vos facere æquum, hoc à vobis fraternitas nostra communis impetrare debet. securè in hostem ibimus, & si concordes erimus, vicimus. Eo pacto victores, & amicis Patriam restituemus, & Rempub. defendemus, hostem vlciscemur, hanc postremò nouam Patriam, ac nouis triumphis comulatam reddemus, vnde nomen gloriæque perennem & Patriæ & Regi comparabimus. Dixi.

Cum Palatinus Cracouiensis perorasset nemo fuit qui non præclaram eius orationem diceret fuisse. Quare maiori omnium silentio audita est, & hæc prima fuit, quæ perturbatas nobilitatis mentes placuerat & perfecit ut in sequētibus conuentibus placabiliores essent eorum animi & tractabiliores nihil est em̄ quod claros in Repub. viros populo conciliet magis, quam facilitatis erga inferiores æquabilitatisq; gratiæ simulatio, quod in eius oratione facile apparuit. Cum il-

O

le enim

le enim incitatos nobilitatis animos accepisset, summa in dicendo modestia & mansuetudine usus, sic causam communem egit, ut & Senatorio ordini auctoritatem & suæ orationi compararet fidem. Hæc itaque placuit omnibus, ut eum frequens Senatus secutus esset. Verum cum res ad vesperam esset extracta partim concionibus, partim postulationibus, quæ vltro citroque in cōuētū agitabantur, actio tota ad diem VII. & XX. Mensis Augusti reiecta est, qui cum illuxisset ad Diui Francisci ædem Senatu conuocato in æde illa magna omnium ordinum frequentia alter nostris temporibus Nestor incipit.

Oratio Thaszycki Iudicis Cracouiensis

Nisi nuper præcipitatus oppressisset nos Sol, nullas ut puto reliquias haberemus. Sic enim iam in causam publicam ingressi fuimus, ut pristinae recuperandæ libertatis ratio optimè nobis constare videretur. Nam cum publice postulata

nostra

nostra recitarentur, in multis nobis assensu editis, & illa quæ disceptatione accuratior indigere videbantur, in tempus magis commodum reicienda putastis. Verum cum nos existimemus, nullam rem tam esse arduam, tam difficilem quæ difficilis sit volentibus: rogamus ne dimittatis tempus, sed statim singulis postulatis nostris explicatis, satisfaciatis Reipub. Qua in re ita faciles & obsequentes, nos vobis præstabimus, ut nulla in re presertim æqua à vobis dissentiamus, & breuiter singula proponam in quibus dissentire videbamur. Ac plurimum saluberrimæ illa Reipub. Lex de mandandis Magistratibus audiatur. Hæc de prauata consuetudine nostrorum temporum penitus abrogata lex est, quam nos in comitijs ita reuocamus, ut nemini deinceps aliquid contra leges mandetur, & cui mandatum fuerit abrogetur. Quare si alia comitia auctoritatem habere vultis, qui aliquid contra hoc decretum obtinet, quod lex cogit, id vltro restituat. Tamen ut amore Reipub. non cupiditate adductos, hanc causam agere nos existimetis, de his ad comitia differri patiemur, in quibus quod liceat cognosceretur, & id statueretur, quod lex & æquitas postulat. Qua in re illud à vobis petimus, ne secus quam lex loquitur, sermo legis accipiatur. Simplicitas enim legibus amica est, leges enim aperte nostræ vobiscum loquuntur, hæc vulgari

intelligentia contentæ sunt : cauillos exquisitos, interpretes subtiles & abditos sensus fugiunt con-
 sulto : Quâro em maior est subtilitas tanto minor est veritas : Quare hoc sensu vulgari eos loquentes audiamus, & optimi eorum erimus interpretes, si sic vt illi præcipiunt viuemus. Itaque sic de Magistratibus leges intelligantur, vt verba & simplicitas legis exoptulat. Sed iam accedamus ad hæc quæ vehementer premunt Rempub., Vectigal nouum est constitutum, nulla autoritate publica, decreto publico nullo, & ita factum, vt nullum prorsus emolumentum ad Rempub. inde perueniat. Et si verum quærimus, omnia hæc Vectigalia publica, sunt priuata præda certissima. Multas isti huius aucupij concinnarunt areas, inuenerunt scripturas, constituerunt cameras, ita vt nulla mercatura tam sordida sit, quæ illorum effugiat laqueas, De cepis, rapis, anseribus, gallinis, penditur vectigal. omnes illorum vectigales sunt, rapiunt hospites, mutilant suos, accolas, incolas, parcitur nemini. Nam in his scripturis, quas vulgus cameras appellat, vectigalia exercent homines vt plurimum egeni, auari, prodigi qui summa rapacitate breui tempore, ad amplas peruenierunt fortunas, vt subito ex inopibus copiosos, ex egenis, diuites, ex pannosis, purpuratos factos esse videas. Hi onuste præda & spolijs optimi conuiuantur, potantur scortantur, atque vt
 cis sum-

eis sumptus suppetant etiam de iniustissimis, quibusdã rebus vt dixi vectigalia exigunt. Quibus Respub. commota incommodis, his vectigalibus exonerari se cupit. Si enim ad Publicam vilitatem vectigalia instituuntur, merito etiam si illi noceant abrogantur : verum cum ob singularem Regiæ Maiestatis in nos clementiam, obseruantia erga illam nostram omnibus modis testata esse debet : hoc illi vectigal permittimus vt vita illius superstite illo vtatur : Ita tamen vt & modus exigendorum vectigalium Publicanis præscribatur, & quibus de rebus pendendum sit ostendatur. Deinde vt ea quæ domi suæ quisque educat, sint libera. Hoc nobis concedi æquum est, nobis inquam qui armis, virtute consilio, sustinemus dignitatem & salutem Reipub. Videtis in quibus possumus, quam æqui & faciles sumus cum tam multa vestræ quoque permittimus voluntati, vos quoque nostris flecti precibus æquum est, Multis bona sine citatione, sine Iudice, sine Iure adempta. Hic metus vniuersam conturbauit Rempub. hoc metuunt, hoc trepidant omnes. Vnum nobis ius, vna libertas, Vnum societatis nostræ vinculum est, quod parum est, ex qua parte solui incipiat. Nam Vndecunque soluatur reliqua dissolui necesse est. Itaque hæc differenda non sunt sed danda est opera vt dissoluta colligatur libertas. An non sentitis nostrarum legum salubritatem,
 O 3 quam

quam colere, quam admirari decet. Has enim aliae gentes expetunt, his sese submitunt, illis vivere cupiunt. Mazouia nostra Prouincia, & quae nouo societatis iure nobis adiuncta est petit à nobis, quo liceat, illi vestro beneficio Polonis legibus libertatem tueri suam. Et ut hoc vos illi à Serenissimo Rege impetretis postulat. Quare quis hanc pulcherrimam Rempub. sanctissimas leges non ex omni ratione defendendas putabit, quas suspiciunt externae gentes. cupiunt socij, complectuntur omnes. Nolite quæso pati rapinis vestris, & iniurijs tam sanctam contaminari Rēpub. & eius clarissimum nomen apud omnes nationes tanta turpitudine notari. Curate ergo ut hæc fama quæ pululat opprimatur, & ne extra fines Poloniae euolet prouidete, nam si hoc neglexeritis cognoscent finitimi Reipub. nostræ gemitus & lachrimæ nostræ permeabunt Oceanum.

Dixi.

Oratio Petri Zborowki.

Quantas percipiamus molestias ex hac Reipub. causa neminem vestrum ignorare arbitror, & certe nos qui huic causæ omnium cōsensu præsumimus, nihil curamus magis, quam ut redire in gratiam cum equestri ordine possitis, & ut sublatis omnibus dissensionibus in concordia & mu-

& mutua beneuolentia uiuamus, & hanc adhibeamus disciplinam, ut & vos pro vestris meritis gradus, honoris & dignitatis vestræ retineatis: & nos libertatem nostram comodissime recuperaremus. At dum ad hanc rem omni conatu incumbimus, insuspicionem desertæ causæ uenimus. Quod multi nos adducti generis aut utilitatis specie, remissius causam agere publicam putarent, imprudentiam nostram accusabant, quod nos assentiremus, vos dedita opera rem protrahere diutius, de bello nihil curare, lachrimis & precibus non commoueri. Et breuiter nos uobiscum colludere existimabant, quorum nos animos licet grauiter commotos, ita tractauimus, ut & fidei nostræ, quam illi in grauissimis causis habent spectatam & cognitam omnia tribuerent, & his quæ à uobis dicerentur crederent. Itaque hoc perfecimus, ut uectigal M. R. & uobis Magistratibus hoc equidem modo quo THASZYCKI disseruit, permitteret. Itaque facite ne quid de fide & diligentia uestra suspicari possint. Quid ita assequemur, si ea pro quibus tanto studio laborauimus impetrauerimus. Præterea, ne animi nostri diutius suspensi sint, iam hodie nobis, cur hic conuenimus causam ostendite. Iam diutius enim durare hic non possumus, lachrimis sociorum & amicorum hinc eijcimur, quos, re frumentaria exhaustimus. Quo circa finem iam

nem iam his discepcionibus nostris imponamus,
& recuperata libertate, legibus saluis con-
stituta Repub. de hoste & bello
cogitemus. Dixi.

Cum iam Thafzycki & Zborowski per-
orassent silentium est consecutum: de-
inde cum vnus in alterum oculos inice-
ret, Senatores inter se capita conferunt,
quid ad hæc nobilitatis postulata re-
sponderent, non habebant. Nam ad-
huc dubitabant vtrum Regia Maiestas
hoc modo vectigal sibi concedi vellet,
Et num ad ea, quæ sibi statim reddi,
nobilitas postulabat, satis paratus esset
Regis animus. Quamobrè quosdã Sena-
tores ad Regem, qui tũ in arce, quæ mu-
ro oppidi cingitur, fuit, mittũt, vt quid
ad ea respondendum esset Senatui di-
ceret. Interquos Princeps fuit Spitko
Tarnouius Regni Poloniæ Quæstor, In-
terea dum illi redeunt Senatus, cum e-
questri ordine in æde Diui Francisci sol-
liciti expectabant vbi tandem tempore
interie-

interiecto Senatores redeunt, & magna
expectatione hæc responsa per Spit-
konem referunt.

Responsum Regiæ Maiestatis ad postu-
lata Equitum.

Neminem esse in Repub., neque esse debere,
qui maior patronus legum & diligentior
libertatis publicæ custos sit quam Regia Mai-
estas, inde facile omnes intelligent quod Regia Mai-
estas, id nobilitati concedat, de quo nuper inter
Senatum & nobilitatem conuenerat. Et vt hoc
grato suscipiant animo R. M. velle. Verum quã-
tum ad vectigalia attinet hisce priuari, æquum si-
bi non videri. Præsertim cum hoc multis Sena-
toribus testibus planum facere possit, sibi illud
vectigal datum & ab omnibus concessum esse.
Quapropter cum Regia Maiestas, ea quæ semel
alicui dederit, nunquam postea reuocet, æquum
est vt ille quoque, ea quæ illi à Repub. data sunt
possideat grauitèr autem hoc ferre Regem, quod
sine causa, alieno tempore tantis afficiatur mo-
lestijs. De bonis vero ademptis hoc tempore
transigi non posse respondit. Verum commo-
diori Reipub. tempore omnia æqua ac legitima
futura promittit. Quantum verò attinet tabulas
actorum, quas vulgo Mettricam vocant, ita Re-
giæ Ma-

giæ Maiestatis videri, vt quæ in ea continetur autentica sint, sed deinceps nulla publica acta, ac decreta in eâ referri, sūma reipōsi Regij hæc fuit.

Hæc cum nobilitas accepisset subito exarsit, ita, vt iam non vt ante murmuraret, sed asperis clamoribus suū significaret dolorem, se aperte circumueniri, Regia voce libertatē tolli. Cum enim nuper Senatus Metricam, hanc, quam metuebant omnes vt plurimum, nullam habituram auctoritatem promitteret, vix biduo interposito omnia Senatus promissa Regia voce sublata esse. Atque ita tota concio commota fuit, vt in circulis occasum legum & orbitatem Reipub. passim desierent, nihil cum Senatu stabile constitui, nihil se certi in Reipub. possidere, sed omnes fortunas suas hac Metrica in dubium esse reuocatas. Irritati ergo denuo omnium animi, & quos, preces, & Senatus, benignitas placauerāt, eos in tantum Regis responsum exacerbauerat, vt veluti turbulentum mare nouis ventis commoueretur violentius. Sicutum nobilitatis animi, Senatorum prudentia aliquantum mitigati, denuo commoti erant. Re ergo in summam contentionem adducta Nobilitas, per Thaszyci quæsta est vehemētissime, sibi apertè illudi, cum Senatu nil posse certi statui, cum id quod decernerent inritum redderet Maiestas Regia, frustra se agere conuentus, frustra Senatum vocare, frustra ad Senatum de Reipub.

de Reipub. referre cupere se, vt iam nobilitati ostenderet, quid de Reipub. speraret & quam ob causam essent Regijs literis ad hoc bellum euocati. Senatus cum arderet inuidia, precibus, cum aliter non posset, flectere nobilium animos conatus est, nequid secus, quam oporteat, de benignitate Regia existimarent, rogabat. Se Publicæ causæ patronos apud Regiam Maiestatem futuros: Senatores omnes polliciti sunt, crastinam diem modo expectarent, vt causa cum M. R. communicata in concilio benignius quam modo nobilitati respondere possit. Quapropter suspēsi noua spe omnium animi, & Senatus est dimissus, & inde discessimus. Postridie mane conuenerant in ædem

Diui Francisci, Senatus tenebatur ad meridiem ferè, expectare multitudinem. Vbi cum confedisent Castellanus Cracouiensis ita ad nobilitatem locutus est.

Oratio Ioannis Tarnouij Castellani Cracouiensis.

TEmpore hoc toto quò hac de re agi ceptum est, Senatores omni opera apud Maiestatem Regiam adnixi sunt, vt preces & postulata vestra apud Maiestatem Regiam locum haberent. Heri grauiter quæsti estis, quod Senatus negligentius vestram causam apud Maiestatem Regiam ageret:
Not

Nos certe non solum hac suspitione, sed alia quacun- que liberi apud vos esse cupimus. Neque enim in hoc ordine aliquis tam improbus inueniri potest, qui rem communē aliquo fucō aut colore, dete- riorem reddere velit: presertim cum ita omnes le- ges scriptæ sint, vt nemo calumnia, aut aliquo astu his nocere possit. Idcirco ea omnia quæ à Re- gi Maiestate in transactis comitijs petebatis, & quæ vobis Maiestas sua negauerat, ea omnia nunc approbat pro communi vestro consensu, & petiti- onibus vestris. At vero cum res nouas intulissetis, quæ longiore tempore & accuratiore deliberatione egent, mirum non est si tanta nos afficiant solici- tudine, vt conquiescere facile non possimus. Et enim res quæ æternitatem suam habere debent, fir- ma initia necesse est habeant: in quibus constitu- endis, si hominum variæ sunt mentes & senten- tiæ minimè mirandum esse arbitror, cum de rebus magnis, & presertim nouis. Liberi hominum de- beant esse sensus, & vt id quicquid in deliberan- do profertur, boni & æqui consulamus, & mul- torum prolatis sententijs in eam potissimum de- scendamus, quæ nobis vna ex multis & verior & certior esse videatur. Itaque hoc à vobis petimus, ne quid fecus de nobis quam nostra erga vos fides & summa beneuolentia postulat, suspicemini, sed ita existimeris de nobis, vt par est de his, qui & di- gnitati Reipub: & utilitati vestræ, quam maximè consul-

consultum esse velint, presertim cum hæc res no- bis vobiscum sit communis, in qua nos sine ma- gno nostro malo peccare nullo modo possumus. Quod verò postulata vestra attinet, cum eo appro- bante Senatu ea ita confirmat, vt etiam ea quæ in comitijs non essent finita, hic suum sortiantur effe- ctum. Preter hæc sunt etiam non nulla quæ etsi in legibus descripta non sunt. Verum quia ad di- gnitatem Reipub: pertinent, ea Regia Maiestas non reiicienda putat, sed inprimis admittenda: vt est educatio Serenissimi Regis Iunioris. Nā tamen si sua Maiestas putat se ita educationem filij sui in- stituisse, vt ea Principe dignissima esse videatur, ta- men si quid adhuc corrigendum sit, id communi- catis consilij significandum sibi postulat. Studi- um verò vestrum, & erga suam Maiestatem hæc præclara voluntas R. M. gratissima est. Quan- tum vero ad limites, & ad alia huiusmodi attinet, in quibus nobilitas iniuriā sibi fieri putat. Etsi Re- gia Maiestas id fieri minime vellet, tamen si quid actum aut admissum sit, id sua Maiestas emenda- bit. Quod verò ad vectigal attinet, de quibus re- bus iam sæpe inter nos disceptatum est, quod à sua Maiestate intelleximus, id paucis referam. Regia Maiestas sic existimat, omnia sua vecti- galia, omnes denique prouentus Reipublicæ esse, quia in Rege tanquam in capite Reipubi: meritò includuntur. Deinde verò cum semel id suæ Ma-

suæ Maiestati datum & concessum ab omnibus sit, id sine causa adimi iustum non videtur. Nam id suæ Maiestati datum fuisse inde sciri potest; cum enim coacto in Piotrkow conuentu R. M. totum Senatum iuramento adigeret, vt libere non oratum esse Vestigal se meminisse fateretur. Hoc ita esse sancte dixerunt iurati. Nam quod eius rei nullam notam nullas deniq; literas accepisset, hanc causam attulit. Si inquit eius rei literæ mihi accipiendę erant, aut meo aut illorum sigillo eas communiri oportebat. Si meo poterat esse suspicandi occasio literas non Senatus, non nobilitatis voluntate, sed meo esse consignatas. Preterea res mali fuerat exempli, si Rex suo sigillo quicquam sibi tribuat. Eorum vero sigillis opus non erat, cum preter vsitatam consuetudinem ageretur. Itaq; maluit iuramento consiliariorum esse contentus, quam fidem vestram sigillis in dubium vocare, at rem mali exempli in Rempub. inducere. Preterea Regia Maiestas sic putat vestigalia multis æterno tẽpore dedisse se, & semel data nunquam reuocare. Cur itaq; quod à vobis semel datum est & concessum, ademptum Reipub. esse velitis. Causa non est de pecoribus, quæ quisque domi educat, Et bouum census, qui vocatur Powolosczyzna ad mittit R. M. liberum esse. Nam quod omnia nobilitatis mercimonia telonio liberantur, id iam non ad Rempub.

Rempub. sed ad priuatorum commoda videtur pertinere: Neque em̄ negotiantur omnes, publicum vero id existimatur, quod ad omnium vtilitatem pertinet. Itaque hoc vt simus contenti Regia Maiestas postulat. De Metrica vero sic sua Maiestas respondit: maiores suos, Patres, fratres, hac vfos fuisse, in quam multa non solum, quæ ad priuatas personas, sed etiam quæ ad Rempub. attinebant referebant, multa illie ducatus Prussiae multa Mazouiae descripta sunt: quæ si cassarentur ruere hæc cum illis possent. At cum Respub. equalitate Iuris præcipue cõtineatur prouidendum est, ne hæc res alijs profit, alijs noceat. Illo vero inani metu omnes vos liberat, quod in bonis regalibus cognoscendis aliquam auctoritatem habeant signa, quibus Regales possessiones cognosci possunt, vt sunt bellicę expeditionis onera, & alia multa, quæ bona regalia esse indicant. Itaq; curandum est, vt nemini noceat, at utilis sit æque omnibus. Itaque sua Maiestas quod ad priuatorum bona attinet, ea vti non vult, sed ex ea priuatorum bona, hereditariane sint indicabuntur, vt in legibus est descriptum. Quantum verò hæc Metrica valeat, aut quid illi tribuendum sit, id de communi Senatus sententia, & nunciõrum in proximis statuetur comitijs, & ne cui noceat, in omnes partes prouidebitur. Si enim ita prouidebitur vt aliquid illi tribuatur, æquum

æquum est illa uti, sin minus, sane reiiciatur dum modo communis sit omnium sententia. Illud verò quod postulastis ut limites ea ratione fiant qua postulastis, sua Maiestas respondit. Et si confirmatio Regia inutilis esse non potest, quin potius necessaria: tamen cum hoc ita placeat negare se nolle & hoc voluntati cuiusque permittit ut utatur confirmatione, aut non utatur ut voluerit. Hæc sunt quæ per nos à Regia Maiestate impetrata vobis sunt, de alijs verò ut de iniurijs priuatorum, de his exactiore cognitione opus est. Itaque hoc ad comitia proxima, sua Maiestas reiiciendum esse putat. & præsertim de Odrowaz cui pollicita est ad conuentum generalem cognitionem causæ & Dominus Odrowaz respondit: se esse contentum. Quod rogatis de nobis, ut vobis iudicemus, quam ob causam huc conuenimus, causa non videtur cur id queratis. Nam id à biennio scitis disolutam esse Prouinciam, vastatos agros, hostili incurfu, Hostis cognoscit ab exploratoribus, sibi hoc tempore à nobis nil metuendum esse, de quo ut vindicta summi potuisset, comitia præterita erant instituta, in quibus cum de defensione contra iniuriam hostis præcipue deliberabatur, etiam ad extremum bellum decretum erat. Itaque rogamus vos memores laudis & gloriæ quam maiores nostri nobis relinquerunt, deleamus istam maculam superiore

amico-

amicorum nostrorum calamitate nomini nostro impositam. Verendum est, si iniurias nostras hoc tempore persecuti non fuerimus, ne ceteri ad inferendam nobis iniuriam promptiores sint. An neque vos illa commouent, quod cum magno gemitu hic defideamus bona illorum exhauriamus, domos exinamiamus, & hostilem in modum amicos & fratres nostros spoliamus? At fortasse calamitatem hanc equiore ferent animo, si hac re illorum saluti prouideri possit. Si ex hoste illorum & nostro pænas debitas sumpsisse nos conspexerint. Itaque hæc in re, hanc adhibite diligentiam moderationemque, ut seniores prudentia sua Reipub. consulant: Iuniores vero illorum sequantur sententiã, ira fier, ut domi Reipub. optimè constituantur, & foris ab hostium impetu fortissimè aut saltem ut cunque defendatur. Dixi.

Quamuis autem Castellanus Cracouiensis.

Tali orationis Lenitate asperitatē Pridiani Regij responſi mitigare, & placatiores nobilitatis animos reddere laboraret: tamen cū Rex vectigalia possideret: metricã non abrogaret, adēpta in præsentia non restitueret, ademptas: multorum fortunas pernicioso & inuisitato iure teneret, graui-

P

ter eam

ter eam rem : Nobilitas tulit. Et cum angustiae templi capere totam Nobilitatem non possent : ita ut commodè audirentur orationes, in campo apud Diuum Georgium de Repub. agi voluerunt , ut ita liberius & commodius omnes sentire ac loqui de Repub. possent : Quamobrem ad tempus praescriptum locum conuentus constituerunt, in quo solit sine Senatu quid facto sit opus in medium conferrent : Die itaque penultimo Augusti in campum conueniunt , loca illa quae circa sunt , maximo hominum concursu complentur , Vnde cum tanta multitudo adesset , ut commodè res tractari non posset , tota Respub in prouincias est diuisa , & electi sunt ex singulis prouincijs, viri consilio & autoritate praestantes , qui in aede Diui Georgij , exclusa multitudine , seorsum in illo secessu de Repub. deliberarent , & ad singulas Prouincias quidquid decreuissent, referent, ut illorum decreta sic demum rata essent , si autor populus fieret. Res biduo summa contentione acta est , variae sententiae , variae defendendae Reipub. rationes inueniebantur, Quo tempore illa praecleara & propria Polonorum laus claruit magis : nullas ita magnas iniurias nullum tam altum esse dolorem , qui huius sanctissime gentis à suo Principe alienare posset animos. Nam qua moderatione animi, & qua fide in publico concilio & communi omnium gemitu , fuerint, facile, ostendit illorum

lorum plebiscitum . quod ultimo Mensis Augusti ex campo recta in arcem in feriolem profecti, Regi obtulerunt. Quod ego latine idè non verti, ut oratio, & virtus huius sanctissime gentis ex Vernacula lingua cognosci melius & intelligi possit, sed iam hoc plebiscitum audiamus.



Nobilitatis scitum per Generosum Martinum Broniowsky Notarium terrae Leopoliensis.



Dziśniewy Miłościwy
 Broń / około rych Artyku
 łow o ktorosmy się nie zgodzi
 liż pány ich Mościáni / tak
 na Seymie / iako y tu / o ktor
 re Wászey Brolewskiej Mo
 ści iako to páná nášego Mi
 łościwego potornie prosiemy / mieliśmy inż do
 syć stánowienia y deklaracy z pány ich Mościá
 mi. Nic inżego te stánowienia y deklaracye nie
 przynda

przynoſa iedno ſkody / á obciążliwoſci wiecey
 przynnoſzenia. Na ten Artykul okolo tego cia
 nowego aad práwa á wolnoſci / my iáko wierni
 poddani W. K. M. to teſz ábyſmy mogli miec
 rychla executia prawom naſzym y wolnoſciom
 y przywileiom / z ktorych wkrociſto to cto / Pozwo
 lilſmy byli W. K. M. do żywota to miec / ſy
 ſielſmy odpowiedz W. K. M. á zwołaszá od
 Je^o Moſci Pána Krakowſkie^o / iſ ie W. K. M.
 raczy miec przećiw prawom á wolnoſciom na
 ſzym uſtawione / á W. K. M. przećie niecha
 ce na tym przestać. Abowiem y przez nas y przez
 Poſtow naſzych uſtawiono ieſt / co ſie uſtawie
 Statutem tam ſtoi / o tym cie nowym /
 iſ iedno przez W. K. M. y przez ráde uſta
 wione / tego odpiaramy Statutem Krolá Ale
 xandra ſwietey pámieci brata W. K. M.
 cap. XV. A gdyz to przez W. K. M. y
 przez ráde tylko / á bez nas y poſtow naſzych
 uſtawiono: á myſmy ná to nie zezwolili / nie
 powinnifmy go teſz dáć / áni ma byc z nas áni
 z poddanych naſzych brano / á ſto ie uſtawit /
 uſtawit ie ná poddane ſwoie / á nie ná nas y pod
 dane náſe / iáko ſie to okazało z Statutem tego /
 iſ tylko przez W. K. M. á przez ráde W.
 K. M. teſzby nie miało byc bráne / tylko od
 poddanych W. K. M. y od rad / iákoſz teſz
 to ná tym Seymie bliſko przed tym uſtáto ſie /
 iſ W. K.

iſ W. K. M. z Radami raczyli uſtawic / y
 uchwalić ná poddane ſwe / ktore teſz tylko pod
 dani W. K. M. á poddani rad ich Moſci
 dáta / á my nie powinnifmy dáwać / iedno wez
 dlug praw / Przywileiom / y wolnoſci naſzych.
 A ten Statut nowy de transgressoribus / ſrogi á
 ostry / ktory ieſt przez W. K. M. á przez Pá
 ny ich Moſci uſtawiony / przez nas á przez Po
 ſtow naſzych / áby byl ſlázon / ná ktory Statut my
 ſámi ſiebie y ſwoych poddanych niechcemy wda
 wać / iáko ktory ná nas á przez nas / uſtawiony
 ieſt. Item Co ſie tycze Metryki / iákoſmy W.
 K. M. proſili Pána náſzego Miſciwego /
 áby autentice nie byla / iáko y pierwey / áni o
 na ſaden dowod byl czynion ſtrony W. K. M.
 ná dobra náſe / áni liſty ku ſkobzie czyiey nie
 byly wydawáne. Co nam W. K. M. przez
 Pána poznáſkiego inſz to obieczać raczyt / iſ
 tak iákoſmy ſabáli Metryke te W. K. M.
 non autenticam inſz zoſtawit / Jácoſmy W. K.
 M. dziekowáli. Tu záſie odpowiedzi nam dá
 ne / wyrozumielifmy iſ tá rzecz o Metryke do
 Seymu W. K. M. oddalić raczyt. Co ſie
 nam zda rzecz byc obciążliwa powolnym pod
 danym W. K. M. Zeby ta tá rzecz końca
 wziac nie miała / á moſe ieſzcze wziac / iákoſz inſz
 byla wzięta pierwey ſlowem á Miſciwym wyro
 ſciem W. K. M. Abowiem gdjeby tá Metry
 p 3

ta autentica miała być / byłaby ku obciążliwości
 praw y Przywileiow naszych / y wolności na-
 szych / nie prosimy aby ta W. B. M. raczył
 skazać / gdyż jest W. B. M. potrzebna / ku
 rzeczom Pruskim y Mazowieckim y ku sum-
 mom Krolewskim / ale iżby tej W. B. M.
 używać nie raczył / tak jako Ociec y bracia
 y sam W. B. M. przed tym raczyli. Abo-
 wiem listy iednym wydawania / a drugim nie /
 jako sie między nami ozwało ich kłtka. A co sie
 tycze dignitates & officia Regni prośiliśmy aby
 ius były dane według praw a wolności naszych /
 na wálnym Seymie / a coby kto nad prawo y nad
 Przywileie trzymał / aby puścił na ten Artykuł
 Pánom ich Młosćiom / rádom / Bráćiey naszey
 starszey / nad prawá a Przywileie naše pozwo-
 lilisiny byli / dostojności / wrzędow / Ktore prze-
 ciw prawóm dżierza trzymać do żywota ich Młos-
 ści / albo do podwyższenia wyśszego / tosiny by-
 li uczynili / ieszżeby prawá a wolności naše w
 tym : w czym sie przeciwko im utroćilo / a obli-
 żyo executia wzięły / aby ich Młosć Pánowie
 tym chutniey a chćiwiey przyczyniali sie ku W.
 B. M. o executia praw naszych y swoich. A
 iż nie znamy ani widziemy przyczyny ich Młos-
 ściow / ato iż prawá naše executii nie miała / a
 przeto gdy sie nie zstala executia w rzeczách / y
 jako prawá y Przywileie naše obmawiaia / te-
 dy y tej

dy y tej też nie odstepniemy. Item. Co sie tycze
 też przeciwko temu Przywileiowi Władysława
 Jagiela. Quod nemini Ducum, & ex genere
 Ducali, Castra & descendenti ciuitates pro tem-
 pore & in auum non conferemus. Krolowa
 Jey Młosć raczy wykupować dobrá W. B.
 M. Zamki / Miasta / a trzymaćby miała Jey
 B. M. aczkolwiek nie nawieczność / ale do ży-
 wota iakosiny slyseli / a wśakoż to własnie prze-
 ciw prawóm a Przywileiom naszym / iżby Jey B.
 Młosć miała trzymać do żywota / abowiem nie
 bez przyczyny ten Artykuł przez przodki naše w
 przodkow W. B. M. jest wysłuzon. A snadż
 wieley ludzie Páńskie osoby Książeta musieli sie
 byli bárzo sprzykrzyć przodkom naszym w sąsiedz-
 twie sobie rownym / a snadż z krzywda wielka z
 wielkiem žalem z obciążliwością opuścić dobrá
 a poniechać musieli. Jeden dla przyiaźni / dru-
 gi dla niedostátku / trzeci dla wstydu / albo iż sie
 zysłać nie spodziewał. A tak prosim pokornemi
 prośbami / tak iakosiny prosili / aby Jey B. M.
 imienia żadnego wykupować nie raczyła / a coby
 raczyła wykupić / aby to spuszczone ku rece W.
 B. M. bylo / a W. B. M. ono dżierzeć ra-
 czyl / y Staroste swego osiadłego iako indzie
 mieć. Aboziem za żywota Jey B. M. mogły
 by sie wielkie trudności dżiałać Koronie / co sie
 każdy snadnie domyslić moze per alienationem
 iuris alicuius persona. P 4 Nāiaa

Najściszej Miłościwy Królu / iest inszych wiele Artykułow z Przywilejami / ktore potrzebuja executy / ktoreśmy dawali na Seymie / y tu ius nie mamy czas / iako nic inszego nie czyniemy iedno piszemy / a mázemy a z powaga sie sobie decларуemy. Naglupsy albo namłodsy by iedno mowić umiał / nauczyłby sie tego / czego nam rozumieć niechca / nie chcemy sie w dawać w traktaty / a w odpowiedz dalszaby ieszcze nam każda rzecz słusna odpowiedz mieć mogła. Jedno tylko my wierni poddani W. K. M. pokora nie prosimy / żeby prawa y przywileja naše / y wolności wszystkie / w całości nam zachowane a dzierzane byly. Albowiem wielkie krzywdy / gwałty nam sie dzieja / przez to wykroczenie prawa / przez Starosty / Celniki / y inne urzedniki W. K. M. y Panow Rad W. K. M. wkazujemy / y prosimy : aby sprawiedliwość sie okazała / a daley żeby sie to nam nie działo. A tak prosimy W. K. M. aby W. K. M. raczył nas od tych krzywd y uciskow bronić / a nam tego nie dopuścić czynić nad prawa y wolności naše. Bo prawa naše obmawiaia / że takowym ktorzy przeciwko prawom naszym / co dzierza y czynia / nie powinniśmy posłuszeństwa. Co sie tycze ruszenia pospolitego / ktore W. K. M. raczył czynić / a my iako wierni poddani W. K. M. posłusni uczyniliśmy W. K. M. iako Panu naszemu Miłościwemu

ktorego

ktorego Panem naszym wyznawamy bydy / przeto prosimy aby W. K. M. raczył nam oznaymić / a powiedziec iesli W. K. M. ma nieprzyjacioły w ziemi / a raczyli ciagnac myśmy darono gotowi / y chcemy ciagnac z W. K. M. a pieniadze nam dać w Nieszeich glownych powiatnych / czego W. K. M. nie raczył uczynić / a wszakoż my iako powolni z tego sie wymawiać nie chcemy / radzi chcemy z W. K. M. ciagnac / iesli nam tu W. K. M. pieniadze raczy dać / wedlug Przywileiow naszych. Przeto W. K. M. prosimy / aby nas dzierzec daley nie raczył / a czynić to / co W. K. M. raczy. Abowiem nie powinniśmy leżec wedle praw a Przywileiow naszych / za takimi utratami naszymi / y tych na ktorych leżemy gruntach / y prosimy W. K. M. aby ius tym rzeczom W. K. M. czynić koniec raczył. Albowiem my ius amplius żadnych ziazdow czynić nie bedziemy / y nie chcemy : a przy prawtech y Przywileiach naszych stać chcemy / w niwozem ich nie odstepować. Hoc plebiscito Regi dato non videbatur consultum, ut sine deliberatione, nobilitati responderetur. Quocirca responsum delatū est. Itaque ad diem septimam, res in Senatu agitata est, ad extremum vocata multitudo, & Rege in gradibus, quibus ad illius arcis particulā scanditur, sedente, Castellanus Craacouien. Regiæ Maiestatis nomine ita exorsus est.

Oratio Castellani Cracouiensis

Neminem esse arbitror qui sine causa rem sepius exagitatam repeti & iterari putet & quod non ob aliam causam sua Maiestas facit, quam ut omnes suspitiones non bene administratę Reipub. fugiat: Et hoc vnum sua Maiestas semper studuit plurimum, ut in custodienda & augenda Repub. Regum eorū, qui ante se regnauerunt inferior esset nemini. Multis enim bellicis tūm domesticis laudibus ita iuuat Rempub. ut nulla in re neque domi, neque foris, regalis, sapientia & defendendę Reipub., diligentia digna tanto Rege, desideraretur, quod cum ex alijs multis, tūm vel ex hoc colligi potest, quod non morbus, non infirmitas, retardare poterat, ut aliquando eius in Repub. opera & cura desideraretur. Sed in lectulo egritudine correptus ius dicebat. Ita ut nullum tempus in Repub. esset, in quo Regium officium desiderari aut requiri posset. Hac mente sicut semper in Repub. fuit ab initio, ita in eadem ad finem imperij sui permanere voluit, ut animos subditorum benevolentia & equitate imperij sibi adiungeret. Quid enim aut Regali celsitudine, aut subditorum commodō aptius esse potest, quam æquitate Principis & subditorum obseruantia, vtrinque conciliata benevolentia. In hac sententia
Maiesta-

Maiestatem Regiam cum omni retrōactō tempore, certum est perseuerasse, tum hoc presentī maximē: Nam cum quādam pręteritis sua Maieestas tēporibus vobis permisit, nunc etiā quantum ratio temporis & legum: autoritas permittit imprimis vobis satisfacere cupit, ut ita quisquam facile intelligere possit, Suam Maiestatem legibus gubernare Rempub., legum se Patronum, & defensorem profiteri, quod ut liquido apud omnes constare possit, sua Maieestas quę postulata vestra fuerint, quę deinde à sua Maiestate impetrata, breuiter & apertē vobis referre iussit.

1. PRIMVM postulatū vestrum fuit, quod Rege Polonia mortuo, denunciatio Interregno Vniuersalis fieret, more maiorum, ut eo modo omnes & Regem mortuum esse intelligant, & quē in locum mortui sufficere vellent cogitent, hoc cum de Repub. & ad publicam dignitatem pertineat Sua Maieestas aprobare dignata est.

2. pręterea insolitis exactionibus vos onerari in villis & oppidis quęsti estis, & alias responsum fuit priuilegia, quibus id liceret cognosci oportere, tamen hac re Maieestas Regia tam diu vos liberat, quā diu in comitijs proximis, quomodo id fieri debeat cognitum fuerit.

3. Illud etiā postulatū est, ne Moneta diutius in Russia Prouincijs cudi permittatur, & quę vbiq; excusa sit quam proba sit examinetur.
Regia

Regia Maiestas iam cudi eam vetuit & eam quæ excusa est, probari iussit vt inde facile, quæ proba, quæ improba fuerit sciri possit.

4. Quantum verò ad illud pertinet, ne cui nisi iure victo bona adimantur: id cum iustitiæ ratio & legum sanctio postulat ita sua Maiestas fieri promittit.

5. Illud verò quod ad redimendum bona Regalia attrinet, ita placet vt non nisi datis & numeratis pecunijs bonorum fiat Cessio

6. De citationibus Ita rectum esse videtur vt in quam Prouinciam Maiestas Regia fuerit in ea legitime fiant, modò ab hac constitutione comitia fiant libera

7. Quòd à Regia Maiestate petijstis, vt res quæ spirituales, quæ seculares fuerint, clarissimis notis & signis describerentur, videtur Regiæ Maiestati hanc rem cognitione accuratiore, quare ad comitia proxima reijciendum est.

8. Petijstis etiam ne aliqua contrarietas in nostris legibus sit, Et si hæc legum natura sit, vt vna non deserat alteram, tamen ne aliqua sit iniure suspit o Sua Maiestas prouidebit.

9. De Abbatibus vt Polono nobili, aut Polono saltem, si nobilis defuerit, conferatur, Sua Maiestas id confirmat & aprobat.

10. Scribæ terrestres vt secundum quod lex iubet, ipsi iniudicijs & actis publicis interfint æquum

quum est, Vicarios autem habeant bonos viros, nobiles possessionatos, ita Regiæ Maiestati vt petijstis placet.

11. Sæpè hoc in comitijs, sæpè in Senatu agitatum est, nunc etiam commemoratum: prælatos & Sacerdotalis ordinis homines expeditionibus bellicis teneri, Hęc res: ne illorum iura, & Priuilegia violet, considerandum est. Itaq; hac de re nihil certi sciri potest, nisi prius immunitates Spiritualium quales fuerint, cognoscatur.

12. Præterea iniquum vobis videtur bona Secularia attribui Spiritualibus. Quare sua Maiestas hac in re ita vt vultis statui iussit, vt si Spiritualis bona secularia possideat, iure seculariū expeditiones bellicas obeat, & si absens fuerit, illa amitar.

13. Fraternitates quas Cechy vulgo apellant, in præsentia dimittere æquum est, cum de his, non cognitis illorū Priuilegijs nihil statui potest.

14. Latitudo viarum & descriptio vt fiat in oppidis & Ciuitatibus mandatum est, & in conuentu mandabitur amplius.

15. De Captiuo nobili in oppido, Si Capitanus cum ciuibus non consenserit, vt is in Castro detineatur & liber sit à Ciuili carcere, atque ea pena puniatur quam Regia Maiestas decernet, Nam quòd petitis vt si à Maiestate Regia fuerit cognitum innocentem esse captum, vt ciues temeritatis auant penam: In hac re considerandum est, ne audacissi-

dacifimis hominibus quid vis faciendi licentiam demus, & hac ratione illos ad omne nefas armemus. Itaque deliberandum est, ne ebrj & intemperantes homines hac ratione audaciores fiant. Quare in comitijs amplius deliberandum est. Ut hac res profit omnibus, noceat nemini.

16. Quantum Verò ad literas Prussiae, & Ducatus Zatoriensis & Ofwiecimienfis pertinet, ut illi quoque nobiscum expeditiones bellicas obeant. Hac in re nihil Sua Maestas statuere potest, nisi prius causa illorum cognoscatur, quare sibi hanc immunitatem vendicant.

17. Inhibitiones in iudicijs ne fiant, id ita placet, ut non dentur neq; seruentur, & si cui cõcessa fuerint ne iudex ijs teneatur.

18. De mulieribus nobilium & ignobilium ne in oppidis iudicetur, sed in iure nostro, id placet.

19. Ut Palatini fungantur suo officio, Magistratus ita uti praescriptum administrant: Regia Maestas hoc idem vult, Quòd si noluerint citentur secundum quòd statuto cautum est.

20. In conuentu generali, ne quid noui statui sine autoritate Senatus & nunciorum terrestrium possit, Suae Maestati placet.

21. De Vicecancellario & cancellario eligendo in proximo conuentu statuendum est.

22. Quod postularis ne plebei in Ecclesiasticos status & dignitates admittantur, cõsētit Regia M.

23. Ci-

23. Ciues bona terrestria possidentes ita Sua Maestas Regia possidere vult, ut mortuis illis haeredes bona illa nobilibus vendant infra biennium, quod si facere neglexerint illa amittant.

24. De Vectigalibus siue Teloneo satis iam dudum dictum est, qua ratione id Sua Maestas possideat. Vos contenti esse debetis, ut pecora & armenta cura vestra educata absque tributo, quod Powolosezysna vulgo dicitur, sint libera.

25. De Magistratibus & officijs, ut petijstis ita Suae Maestati, ut in conuentu generali conferantur, placet. Sed hoc in ordine Spiritualium & ut rectè fiat prouidendum est. Nam aliquo spirituali mortuo, quatuor Menses sua Maestas ad conferendum liberos habet, quibus exactis pontificis maximi in conferendo ius succedit. Quare verendum est, ne propter diuturnitatem temporis, quo comitia abessent beneficia externis hominibus à summo Pontifice conferentur.

26. Extraneos & peregrinos ita arces & oppida quae possident sua Maestas possidere permittit, ut demum illis ipsis mortuis nulli peregrino id liceat.

27. Iudei in oppidis nobilium degentes à Palatinorum iure sint liberi & Priuilegio communi uti illis, si velint, sit liberum.

28. De Terminis agrorū quos vulgus Grani-dies vocat sit ita ut vultis confirmatum, tali modo ut

do vt sit in arbitrio cuiusque vti vel non.

29. De metrica illud suæ Maiestati placuit, vt nullius deinceps bonis hæreditarijs noceat neq; in bonis Regalibus cognoscendis aliquam auctoritatem habeat, verum cum multi sint, qui eam abrogandam, multi qui retinendam cupiant. In ista animorum diuersitate quid statuendum sit, videre difficile est. Itaque ex Repub. esse videtur, vt id ad comitia reijciatur ibiq; de consensu omnium. Statuatur quid illi tribuendum, & quid derogandum sit.

30. De bonis Reginalis Maiestatis cõtra Priuilegia & statuta nostra, ea à sua Maiestate possidere vobis non placere. Regiæ Maiestatis hæc bona sua Reginalem Maiestatem, vira illius superstite possidere vult, qua defuncta ad Rempub. deuoluui & regno restitui dubitare nemo debet. Nam si hoc Maiestati suæ non licebit vtiliusnè Reipub. fore putatis? Si pro his bonis quæ habet in Italia bona potius quam in Polonia sibi compararet, vos statuite. Quæ res ne alicui noceat, sic sua Maiestas cauit, vt his bonis possessionati capitanei proficiantur, quantum ad arces pertinet, quas Reginalis Maiestas possidet omnibus prefecti sunt, hi qui in nomen Regiæ Maiestatis iurauerunt, & de eius nomine illas arces possident.

31. Refferendarij non iudicabunt amplius, sed tamè cū opus fuerit, querelas audiēt, Spirituales

ruales iterum à secularibus abstinebūt iudicijs, nisi forte causa illis pro aliquo Spirituali iniudicio dicenda sit.

32. De Cortisanis in hos noua pæna statuenda non est, sed veteribus legibus temeritas illorum coercenda.

33. Pensiones sine consensu patrum raras fieri sua Maiestas assensa est, si verò qui fuerint qui contra fecerint in eos lege Cortisanica vt aduertatur æquissimum esse videtur.

34. Priuilegia bonorum hæreditariorum, quisque cū ira opus fuerit: exhibebit quod in statuto præscriptum est.

35. Præterea quod postulatis, vt in comitijs singulis hebdomadis duos dies successiuos habeat Regia Maiestas quibus causis & priuatorum controuersijs præsit Regia Maiestas, id ita se facturum promittit.

Hæc sunt quæ Vestra postulata ad Regiã Maiestatem fuerunt, partim in veteribus præscripta legibus, partim noua in quibus omnibus ea æquitate animi fuit Regia Maiestas, vt aut omnia vestro arbitrio permiserit, aut pauca excepta ita moderatus fuit, vt eorū partē cū sibi sumeret, eam etiã ipsã cõcederet, vt hac ratione, seditiones medio tollantur, & vos sibi omnes beneficentia hac Regia liberalitateq; coniungeret. Et si quis æquus iudex & cui publica trāquillitas & amor cor-

Q

di est,

di est, rem secum diligentius reputare voluerit, inueniet profectò, nihil à sua Maiestate Regia prætermisum, quòd dignum optimo Rege, & benignissimo Principe esse videatur. Vobis etiam conuenit, tantam erga vos beneuolentiam gratumque Principē vestrum complecti animo. Veniat vobis in mentem maiorum vestrorum, quā eam libertatem, quā nunc fungimur, ea iura quibus nunc viuimus, omni fide, beneuolentia, cura à Regibus Principibusque suis obseruauerunt. Testatur hoc priuilegium Ludouici, alias Loys in quo eam, quā nunc habemus libertatem maioribus nostris dedit. Ait enim se ob singularia in Reipub. maiorum nostrorum merita, & in se liberalitatem illam dare in fœdus & testimonium erga gratos subditos, Regalis munificentia sempiternum: sed quid vetera repeto? patrum memoria Iagello Rex. Auus Serenissimi Domini nostri, multis concessis Priuilegijs, singularem maiorū nostrorū erga se testatus est fidem: Quare cum tot eximia sunt, quæ nobis maiores nostri, pro documento reliquerunt, turpe nobis videri debet, ab illorum consuetudine discedere, Sed gloriosum & utile si domesticis admoniti exemplis fide debita ac perpetua beneuolentia, & nos principi, & nobis principem coniunxerimus. Cuius rei cupidissimam suam Maiestatem semper fuisse nemo ambigere debet. Quid ille à vobis inuitis

inuitis extorsit, Quid est quòd ille nobis rogantibus sibi sumpserit, Sic toto sui tempore Regnū vixit: Sic se erga vos gessit, vt benignitate potius quàm imperio vteretur. Testis est nudius tertius Sux Maiestatis ad vos de defendenda Reipub. relatio, nihil per se sine voluntate vestra agendum putauit, Sed rem omnem ad vos detulit, vosque autores & principes huius consilij esse voluit. Cū enim hoc anni tempore opera vestra communi se Reipub. iuuare ita commode non posse videret, necessario alia defendendæ Reipub. ratio inuenienda est. Nam re infecta domū discedere, videte quanta infamia quam denique vobis perniciosum sit. Verendum enim est ne si in hoc bello nulli fuerimus, reliqui nominis nostri hostes contra nos audaciores sint. Audistis quæ iam excursionibus in montanis acta sunt, multæ villæ domino Stadnicki exustæ, multæ populatæ sunt. Itaque Valachus exurit Prouinciā, vastauit agros fratrum & amicorum nostrorum, nos hæc contemnimus, hæc æquo animo feremus. Si idem Prussis idem Poloniae accidat negligemus? Verendū profectò est ne si ita omnia contemnimus, simul & omnia amittamus. Si enim iniurijs non obstinerimus postremò quomodo defendemus nescio. Quare Regia Maiestas Deos hominesque, vos denique ipsos testatur, se nullā in re deesse neque defuturum Reipub., Mo-

net præsens & omnes calamitates inimicorum demonstrat, quæ quo minus depellantur non per se stetit, quibus id rationibus fieri possit se ostendisse. Etenim memoria tenemus bello Prusico, cum exercitus eius regno collectus amplius durare propter anni tempus non posset, tributo per nos concessio, & impetrato pecuniario, Rēpub. scimus esse defensam: Nunc etiam quid expectamus amplius? An ut: omni nudatam Prouinciam præsidio relinquamus? nihilne vos gemitus fratrum nostrorum, nihil infamia nominis mouet, quæ dolenda vobis profectò est, Si quid est vobis patriæ virtutis & ardoris, neque illud dici potest. Vos iniquitate imperij Regij ad extinguendum incendium tardiores esse. Si enim sua Maiestas semper ut vim inferret, nemini laborauit, sed ea tantum potentia vteretur, quam illi lex & mos maiorum dabat, hac mente eum semper fuisse & esse velle: ut vos omnes sciatis & cæteris qui absunt narretis postulat. Quod si quis tam iniquus tam impius inueniatur, qui turbare Rēpub. alienare ab optimo Principe animos nostros non dubitet: videat quid agat, quid inceptet, consideret. Quid enim nõ faciatis, qui omnem coniunctionem & necessitudinem qua vobis Princeps, vos Principi coniuncti estis, violare audeat? Hæc vos cogitare, hoc ut fiat providere æquum est. Nullum enim Regis commodum, nul-

dum, nullum subditorum malum, priuatum est. Sic enim in bene constituta Repub. omnia connexa ac coniuncta sunt, ut quidquid partem in vnam accedat, id in alteram redundet necesse est. Monuit nuper sua Maiestas hostem erectum victoria, & dissensionibus nostris confirmatum, imminere toti Russiæ, quem ut armis pellatis, fratres & amicos vestros, ab incendio & vastitate aliquando liberetis, sua Maiestas diligenter adhortata est. Cuius rei spes nulla est, in hac pecunia ciuitatibus & opidis à sua Maiestate imperata. Nam hoc stipendium magnum exercitum alere non potest tria millia, quingenti pro defensione Reipub. conscripta sunt, quibus hæc pecunia per nouem mensium spacium sufficere non poterat, ita ut de suo quoque triginta millia Regalis sua Maiestas addere coacta sit. Quare moueat vos fratrum nostrorum miseria, moueat impendens cunctæ Russiæ calamitas, Et cum omnes nunc subuenire labefactatæ Reipub. commodè non potestis, aliquid saltem conferatis, quo Respub. defendi possit, neque id à vobis pro imperio sua Maiestas exigit, sed hoc totum ut cum gratia à vobis impetret, postulat, Illud verò quòd ad crimen læsæ Maiestatis pertinet paucis accipite. Iniquum vobis videtur vos Iuri Cæsareo, presertim cum vestras leges habeatis, aliquibus in rebus subiacere, etsi id quidem verum sit in illo ipso iure es-

se summū ius & summā iniuriā, tamē ita vt vultis, sua Maiestas assensa est. Nam & nos leges habemus in quibus de crimine lesæ Maiestatis diligentissimè cautum est, quæ minimè abrogatæ sunt, & præterita crimina, latis iam legibus, non ferendis puniantur: Si verò postea videbitur, vt illis aliquid derogetur, id de communi omnium consensu, statuendum erit. Quæsti estis multos Palatinos plures etiam Castellanos in hac expeditione desiderari, Regia Maiestas ita respondit; quicumque domi manere iussu sunt, eos non sine iusta & legitima causa mansisse. Nam cum nunc omnes domo absimus, providendum erat ne Respub. & in alijs partibus aliquot detrimentum caperet: Si qui verò sunt, qui sine privilegio & Regiæ Maiestatis consensu in hac expeditione non sint, causa non est cur non secundum leges in eos animaduertatur. Hæc sunt quæ vobis referre Regia Maiestas iussit.

Cum finem dicendi Castellanus Cracouiensis fecisset.

Nobilitas à Rege postulat, quo concedat Nobilitatem secedere & quid ad hanc rationem respondendum sit deliberare. Quòd cum Regia M. concessisset, inter columnas quibus fons Monasterij illius cingitur confederunt. Quo in loco quibus modis exagitata res sit, referant alij, mihi factis est

tis est, quæ publicè ad Regiam Maiestatem reuerſi, qui in loco supra dicto operiebatur, dixerunt ea referre. Quare Splawski cui negotium cum Thaszycki datū erat, vt Nobilitatis nomine ad Regē loqueretur sic incipit.

ORATIO SPLAWSKI.

ETſi Serenissime Rex per Magnificum Castellanium Cracouiensem, nudius quartus Maiestas tua de nunciare dignata est, quod terere tempus deliberationibus & huiusmodi controuersijs non velit, tamen videmus nouam rem in conflictationem adductam esse, nempe vt de defendenda Repub. deliberaremus. Nos vt sapè Maiestati tuæ retulimus, illius aliam nescimus rationem præter hanc, ad quam hic decreto Maiestati tuæ conuocati sumus. Proinde obnixè petimus, ne diutius Maiestas tua nos hic desidere patiatur, & nobis hodie quid tandem factū opus sit ostendat, cum durare diutius huc nullo modo possimus. Quantū verò ad postulata nostra attinet, quibus Maiestas tua pro singulis sua erga nos subditos fideles, clemētia benignissime assensa est, ingētes agimus & habemus gratias: Illa autē quæ Maiestas tua ad conuentū generalē renſcenda censuit, quæsumus ne & his aliqua fiat dilatio. Nā nos ab illo scripto nostro quod Maiestati Tuæ

nuper porreximus, nullo pacto discedere volumus, habet in illo Maiestas sua totam sumam descriptam: & conclusā, quā vt clementia & gratia Maiestas T. excipiat, rogamus.

Oratio Nicolai Thafzycki.

INtelleximus Serenissime Rex ex domino Castellano Cracouiensi, quo animo & qua clementia erga nos subditos tuos tua Maiestas sit, à quo nemo dissentit, Fatemur enim laboribus, sumptibus, consilijs suis ad vitam & semper conseruatam Rempub. Quam diu hoc regnum steterit incolume, tam diu in illud tuæ Maiestatis immortalia extabunt beneficia, illustrasti regnum, auxisti Rempub., nos ita ornasti, vt in hac re omnes qui vnquam regnarunt facile viceris. Quare quod ea dignitate, eaq; gloria apud omnes gentes sumus, hoc tibi debemus, hoc tibi acceptum ferimus, verum enim qua tu in nos & in Rempub. propensione animi fueris, tales nos semper etiam præstitimus, in quibus tu merito omnes vires Regalis munificentia tuæ ostendere possis. Quæ bella vnquam tam asperā, tam periculosa gessisti: quis hostis tam potens bello te lacessiuit, in quo tu fidem, laborem, constantiam deniq; nostram singularem non cognoueris. Testis est Valachia quam tu graui & difficillimo bello, virtute & armis

armis nostris afflictam, tibi subiecisti: Testis est Prussia, quæ, qua erga te fide & obseruantia fuerimus, experta est. Multa præterea & diuersa genera bellorum facile declarant, & tuam erga nos præstantem clementiam: & nostram erga te fidem excellentissimam. Nam quod Magnificus dominus Castellanus: virtutem maiorum nostrorum singularibus ornauerit laudibus merito ille quidem, sed nos inferiores illis nunquam sed pares & virtute & animo fuimus. Et vt vnum ex multis proferam, Prussiam præter leges, & maiorum instituta, sumptibus, militiæ, nostris denique corporibus tutati sumus. Quod cum faciebamus non Prutenis sed tibi domino nostro præsto fuimus, te armis ceruicibusq; nostris, obliuisti legum Patriæ nostræ ac libertatis, in eo bello defendimus, Hanc virtutem nobis tanquam amplissimum patrimonium à maioribus nostris, relictam ita ad hanc vsque diem semper retinemus, vt in fide nostra, & tua erga nos clementia omnia & Reipub. & libertatis nostræ præsidia posita habeamus, & si facultates nostræ ferent, ad omnia imperata sua obsequentes nos præstaremus. Candida enim erga te corda gerimus, nulla infucata malevolentia, idem animus est qui semper fuit, Te Regem & Principem nostrum confitemur, huius fidei erga te nostræ obsidem dedimus, qui Serenissimum filium tuum tibi successorem,

Q s nobis

nobis post te Regem, esse volumus, Si quis vero inter nos est, quem aliquis dolet, ex aliqua re leserit, id facile clementia & tua Regia liberalitate mitigari potest, nostrum vero erga te studium & hanc animorum consensionem, ut benigno & propitio suscipias animo rogamus. Dixi.

His dictis & actis Concio dimissa est.

Regia vero Maiestas cum concionibus amplius tempus terere nolet, publice per Castellanus Cracouensem dixit, se singulos Palatinos ad singulas Prouincias missurum, qui nobilitati, quod Rex eos facere vellet, iudicarent. Quapropter triduo interiecto, postquam haec acta sunt literis per statuas dimissis, omnibus Prouincijs cuilibet, seorsim loca separatim ad quae conuenirent, praescripsit. Ad quos cum Palatini venissent, mouerunt Nobilitatem, ut de Reipub. consulerent, tempus gerendi belli deesse, Reipub. sine milite sine stipendio esse, & ne quid Reipub. detrimenti caperet, prouiderent. Verum cum in omnibus Prouincijs vnus esset sensus, ad nullam rem nobilitatis animi adduci poterant: Se venisse aiebant non ut tributum darent, sed ut cum hoste pugnarent. Si libertatem, leges, Reipub. integram habent, eorum operam fortem, & constantem Reipub. hoc tempore non
defutu-

defuturam. Hoc responso ab omnibus prouincijs accepto, Palatini in opidum ad Regem redierunt. Rex vero cognita prouinciarum sententia, cum aliud non posset, de soluendo bello cogitare cepit. Accersitis ergo per literas omnibus prouincijs eis, in arce iam dicta ex loco superiore his verbis comiteatu abeundi domum dedit. Regis autem nomine Castellanus Cracouien. ira locutus est.

Responso Regis per Castellanus Crac.

Serenissima Regia Maiestas, cum sciret hostili Sincursu, vastatam esse Prouinciam, vastatos agros fratrum & amicorum vestrorum, operam alia illis ratione ferre non potuit, quam ut vos omnes ad tuendos Regni fines, & defendendum fratres & amicos nostros conuocaret. Ut ita & damna accepta resarciret, & infamiam ab ignobili hoste, nomini nostro illatam virtute & armis, vestris repelleret. Quam spem consiliorum & cognitionum suarum nescio quod Reipub. fatum impediuit. Cum multa huc veniens, preter opinionem inuenisset, quae turbare Reipub. viderentur, illis ante omnia prouidendum esse putauit. Neque enim domi perturbatis reb. foris laude aliquid dignum geri potest. Itaque hoc toto tempore, quo Leopoli sumus in id incumbuit, ut Reipub. prius domi constitueret, quam illam ab extremo hoste defenderet. Quam ex re nullam laudem atque utilitatem priuata sibi ipsi querebat, sed ut regnum, a maioribus sibi traditum, in eadem existima-

existimatione ac concordia, qua semper fuit, conseruaret. Hac re commotus ad vos retulerat, cū hoc tempore expeditioni publicę commodē non possimus vacare, conferendo saltem aliquid Reipub. subueniremus. Neq; hoc pro imperio à vobis exigebat, sed vt misericordia adducti succurreret afflictis socijs vestris atque amicis, quorum miseria & calamitas Reipub., singulari infamia notauit: cui vt sua pietate succurreret, fecit, ac quę poruit omnia; quod si vos tantę beneuolentię minus grati estis, sic enim iam dicendum est, Deo ipso Optimo Maximo cum hominibus non potest, egregiam suam voluntatem relinquit testatam, Dies hic nouus & quadragesimus est cum altercando tempus consumimus: oportuit atatem gerendi belli conterere voluimus, quod est iam factum: reliquum omne tempus ad bellandum minimē est aptum, nam frigora, imbres, & alię hyemis tempestates imminēt, quę & ipse Tartarus durissimus miles, fugiens, se iam colligit, neque hoc iam tempore arma mouet. Quod Regia Maiestas animaduertens, alijs sibi opibus & consilijs ad defendendam Reipublic. opus esse intelligit. Itaque cū iam propter anni tempus, vt dixi hac publica expeditione iuuare non possit Reipub. vobis omnibus comēatu abeundi dat & domum vos redire iubet. Ipse dignitatem huius Regni quę semper apud omnes gentes floruit, existi-

it, existimationem tuebitur, ita vt res & facultates ipsius ferent: Saris constat in hoc Regno Regi vectigalia esse parua, nec esse tanti, vt sine opera vestra Reipub. defendere possit. Itaque Regia Maiestas omni ope, & opera vestra destituta, sic vt poterit, resistet, vos iam vt dixi hoc bello liberat. Hoc tamē pacto vt si maior aliqua vis & periculum Reipub. inuaserit, prima literarum presentatione ad diem dictam & locum constitutum pręsto sitis. Atque illud postremū à vobis sua Regia Maiestas petit, vt in redeundo, ita modesti & continentes sitis, vt cum aduentus vester multis calamitati fuerit, reditus noceat nemini: nam vastare agros in bona amicorum nostrorum irruere, & in ea hostiliter sæuire, hoc vobis licere iure non putetis: Regia tamen Maiestas ita vt deę, quibus tantę iniurię esse factę dicentur opem & auxilium legitimum pollicetur, Dixi.

Thaszycki missus vt gratias pro dato comēatu Regi ageret, nihil cunctatus, hoc modo exorsus est.

Quod nobis Clementissime ac Serenissime Rex tam benigne comēatu domum abeundi dederis, ingentes agimus ac habemus gratias, & quod nostra in hoc nostro comēatu, postula-

postulata clemens ac libens quidem comprobaueris, quædam verò, quæ hic transigi non poterant, ad comitia futura reieceris, id totum nobis abste principe sapientissimo æqui ac boni consulimus. Sic enim nobis de te in nos & in Rempub: clementia persuasi sumus, vt commodis neque nostris, neque Reipub: vnquam sis defuturus. Quare illud enixè à Tua Maiestate petimus, vt tu ipse causam nostram defendas, atque ita in comitijs futuris tractes, vt ea pro quibus tanto studio, à Tua Maiestate contendimus suum fortiantur effectum. Quod attinet ad expeditionem bellicam, illud ante omnia opus est, vt hos milites, quos cernis, robur & firmitermentum Regni existimes; Hoc illud est serarium inexhaustum imperij tui: hi nerui pietatis tuæ, quos ita dispensabis, ita denique tractabis, vt eos coniungas, quantum potes maximè, nunquam autem separe. Quis enim ignorat diuisio imperij in quantum Reipub: nocuerit. Qua in re satis nobis exemplo sit Casimirus pater tuus, qui quod Regni vires disunctas habuerat, quanta calamitate, apud Chonice victus, affligerit Rempub: non commemorabo hoc tempore, recens exemplum Vngariâ nos admonere potest, quæ quantis quotidie iactetur malis, relicta stupris & incendijs, sine lege, sine iure, Tua Maiestas secum ipse recorda-

cordabitur. Cui non tantum ab hostibus armatis fuit periculum, quantum à circumfusis, vbique seditionibus: in quas miseras nunquam illi deuenissent, si æqualiter pace & bello vixissent. Itaq; cum tam domestica quàm externa nos moneant, vt æqualiter in hac Repub: si eam sempiternam esse cupimus, viuamus. Illud vt fiat Tuæ Maiestatis obnixè petimus. Iniquum enim videtur, alios in castris versari, alios domi in luxu & ocio degere. Ita fit vt alij in ocio fiant beati, commoda sua augeant, alij in castris sint miseri, vitam & fortunas suas omnes pro communi salute in discrimen adducant. Quæ res qualia in Repub. odia excitare possunt, Tua Maiestas intelligit. Hoc enim à natura omnibus animalibus tributum est: Vt sibi melius malit quàm alteri: Mures pro paruo grano frumenti sæpè certant, & alia eius modi multa. Quo enim animo eum putemus, cui id oneris quòd omnibus ferendum est, vni soli imponitur? Neque in auriga id laudamus si vno equo onustum trahat currum, alterum verò ociosum ducat. Hæc ideo à me tam copiosè commemorata sunt, vt Tua Maiestas intelligat nos disunctos debiles, coniunctos verò fortissimos futuros. Quare vna voce petimus, vt omnes vires Regni dissolutas in vnum colligas, easque augeas, vt & illos, qui se à communi Repub: tuenda eximunt, ad eius ferenda onera adducas. Ita erit

Ira erit vt communem Rempub. coniunctis viribus & auxilijs fortissimè defendamus. Iam tandem valeat Tua Maiestas, sit nobis diu fœlix & incolumis & tempora Regni tui, vt Deus Optimus Maximus quam longissima esse velit, omnes precamur. Dixi.

CONCLUSIO

Bello soluto, Poloni mestissimi omnium domum redierunt, nam cum pro libertate omnibus viribus frustra, vt illis videbatur, contendissent, re infecta in hac expeditione domum discedere acerbe grauiterque ferebant. Qua in expeditione illud mirabile acciderat, quod vna mens esset omnium, & omnes in bello durare, nec re infecta domum redire vellent, Nihil illa valebant, quæ omnibus solent esse charissima, sed coniuges, & fortunas omnes tum contempserunt. Nihil eos vastata, & ardens Russia, nihil sordidati focij, nihil lachrimæ & luctus Prouinciæ mouebant. Nulla horum mentio, sermo nullus de his, libertatem, Iura, leges omnia strepebant, colloquia in circulis compitis Ecclesijs publicè & priuatim Rempub. esse amissam dolabant. Et cum ita armati atque instructi adessent, vt omnibus exercitibus omnium Regum & Imperatorum pauori essent: tamen illos inuictos viros ita

ros ita tum dolor mouebat, vt illos non tubarum sonitus ad pugnam, sed ad legenda statuta & Priuilegia cognoscenda gallorum excitarent cantus. Manè non hastas sed leges, non scuta sed statuta circumferri videres, concurrere in opido, conuentus agere percrebro, preterea primores partium & Senatum ingredientes eisque patriam, coniunges, liberos, fortunas omnes committere. Quid ergo nunc commemorem, quàm sollicita, quàm ad omnes rumores esset erecta nobilitas, in mutuis salutationibus primum quebatur, quid actum in Senatu sit, quid decretum in conuentu, num bona adempta restituta, num contra leges commissa, abrogata sint. Cum verò rem totam ad comitia trahi alter alteri resferret. Sic metu exanimati sunt, vt actum esse de legibus & libertate dicerent. Quod enim ipsi à Rege impetrare non possent, suos legatos, nihil minus effecturos sperabant. Quocirca hoc nuncio mesti erant pueri, dolebant iuuenes, quem si describere pergo succubam oneri, neque minima ex parte illud cõsequi poterò. Quare hoc ipsum faciã, quod ille pictor in immolanda Iphygeniã fecerat, vt cum Agamemnonis luctum, penicillo imitari non posset, celandum caput eius putauit, vt secum quisq; quantus sit dolor ille estimaret: Sic & ego etiam inuoluam dolorem communem alijsque iudicandum relinquam quo

R

in dolo-


in dolore fuerint hi, qui seruire nemini, imperare omnibus didicerant, cum vocem legum extinctam, libertatem esse omnem oppressam dicerent. Sic enim tum ea iactabantur in populo, verè an contra nescio. Ego certè cum præcipuam historiae laudem veritatem esse sciam, non quid factum, sed quid in bello actum sit, attendere debeo. Dolebat itaque, Equestris ordo, & omnes, vt victi ex acie, sic ipsi spe frustrati, à Leopoli discedebant. Preterea ad hunc dolorè summum ille incredibilis accesserat, quòd illa scuta illas hastas, illa agmina, quæ timebat Germania formidabat Asia, metuebat Scythia, sine effectu domum redirent. O Misera & infelicia tempora, centum & quinquaginta lectissimorum virorum millia citrà, vel vitrà ad Leopolim sic enim dicebantur, eo splendore atque apparatu frustra conuenerunt. Hic enim fortissimi Equitatus, hæc enim fortissima bello corpora fuerunt, vt post hominũ memoriam nullus exercitus instructior aut apparatior fuerit. Neque me hac in re fallit amor patriæ si ea reffero, quæ à prudentissimis & eruditis viris tam exteris quàm ciuibus acceperam. Verùm istalis & tantus domesticus exercitus, remoratus discordia apud Leopolim consedit. Et dum leges sibi restitui, libertatem reddi postulat, ita duobus Mensibus in Russia mansit, vt non inde discederet, quàm alter alteri confirmaret. se
ita le-

ira leges libertatemquè tutaturos, vt si aliter non possent vitam potius quàm leges libertatemque desererent. Sed hæc fuissent tolerabilia, si illa ferri aliquo modo possent. Cùm enim Valachum maiores nostri seruum hæreditarium nobis reliquissent, & cui afflicto & prostrato illas ipsas compedes, quibus se exuerat induimus. Nunc rursus nostræ soluerunt dissensiones. Aut eum in nos ciuiliis armauit error: Sed quærellæ facebant cum nihil profint, quibus ego ideo vtor liberius quia mihi doleo, mihi ipsi seribo. Verùm si fortè aliquo casu hæc in manus hominum peruenerint, ab omnibus hanc petam veniam, vt me has conciones sic tractasse existiment, vt nihil neq; falsi affinxerim, neque veri detraxerim. Preterea scio hoc onus impar meis viribus fuisse, & in quo tractando, diuina illa Ciceronis laborasset eloquentia. Quocirca ab omnibus postulo, vt multo magis de his viris, quam à nobis eloquentes introducti sunt, suspicentur. Neque enim hoc mihi sumo, vt subtilitatem Petri Zborowski, modestiam Taszycki vim in dicendo Martini Zborowski, aut ingenio complecti, aut imitatione consequi possem. Quid dicam de duobus Principibus Senatus & quibus in turbulentissimo tempore prudentior & constantior nemo fuit: ita vt diuersa ratione summam & ingenij & prudentiæ adipiscerentur laudem. Alter enim

submissa, modestia, facili & benigna oratione omnes populares sedabat. Ventos & grauissimas Reipub. placabat procellas t Alter verò toto conatu incumbens cum secundis nauigare non posset, aduersis ventis vela tulit, & quo non succedebat velificatio, Vi & impetu orationis portum petebat. Quare ignoscant mihi omnes, qui hæc legent, Si eloquentissimorum virorum in dicendo præstantiam, mea ad amissim non indicat oratio. Nam non Eloquentiæ sed veritatis laudem hîc querimus. Deinde verò hæc congesi non vt in vulgus ederem, sed vt tempus fallerem, & hac meditatione, ocio & inertia languentē animum exercerem.



LECTOR Hæc vita Kmithæ ab Orichouio scripta non est, sed tamen à viro non malo, & non vsquequaq; indocto scriptam ipse cognosces & agnosces, certè quod maximè in historia quæritur, veritas & libertas hîc tibi patebût. Si quid improbare, mi lector, volueris, tuo iure & more facias, per me licèt, ego nec intercessor nec deprecator ero. Satis sit mihi ea te non celare, quæ te doctiorem & meliorem facere possent. Adiunximus illam Annalibus Orichouj, quòd Kmitha toto hoc tempore, quòd Orichouius descripsit, Reipublicæ non interfuit solùm, sed præfuit, & rerum quæ laudari & quæ culpari debent, pars magna fuit Vale.



VITA

PETRI KMITHÆ

De Wisnicz, Palatini

CRACOVIENSIS.

PETRVS Kmitha de Wisnicze, Kmitharum generis vltimus, de familia Srzeniauitarum, quæ flumen cum cruce pro insigni gentileo defert, Stanislao Kmitha Patre, Catarina Tarnouia matre genitus fuit literis latinis, & varia lectione doctus, primos ætatis annos in Germania & apud Maximilianum Cæsarem in militia in morum cultu, & Germanica lingua perdiscenda exegit. Inde ad aulam Sigismundi Primi Regis Poloniae se contulit. Is cum & proceritate staturæ, & oris dignitate, & animi magnitudine, & dicendi copia ac industria præstaret, Marschalcus curiæ Regiæ creatus est, post ad magnum Marschalcatû Regni euectus, virumquæ ex sua Regis & Regni dignitate gessit. Cæteros Magistratus videlicet Castellaniam Voinicensem

ensem, post Palatinatum Sendomiriensem, mox Cracouiensem vnâ cum eius Capitaneatu ordine cepit. Præfecturas etiam Sæpuhiensem, Coleniensem, Præmissiensem cum potestate iurisdicendi obtinuit.

Maiorum suorum qui ab initio vsque per multas ætates magnis in Regno honoribus perfuncti sunt, rebus etiam gestis clari fuerunt, virtutes ac fortia facta imitatus Reipub. contra omnes casus hostilesque in cursus præsens semper affuit: hostesquæ à Regno communibus cum cæteris viribus repressit. Quam ad rem ordinem Equestrem summa beneuolentia sibi conciliauit, viros fortes fouit, doctos amauit, matrimonij honestatem ac fidem pudicæ seruauit, in amicos officiosus, aduersantibus asper, cedentibus placibilis, graues offensiones minima deprecatione condonans, pudore & temperamento linguæ durissimos inimicos frangens, & molliens. Hæreses quæ multiformes ac prodigiosæ ex Germania in Poloniam inuaserunt execratus est. Ipse in vna Sancta Catholica Apostolica fide, rituquæ veteri Ecclesiæ Romanæ, cæteris etiam Magnatibus ad hæreticos desciscentes immobilis permansit. Gaudebat videri & esse pius, religiosus, Catholicus, eiusque rei signa aperta dedit. Nam & ieiunia ab Ecclesiâ instituta seruauit, Deum piè casteqû coluit, Sanctos Dei, quo par est honore, est

nore, est prosequutus, omni quadragesima penitentiam diligenter egit, se ad Sacram communionem dignè sumendam magna cura præparando, Missas & omnia diuina officia attentè ac religiose audiuit. Templum in Wisnicz ex muro ad honorem & laudem Dei Optimi Maximi extruxit, mansionarios dotauit, vasa Sacra ac vestes ad decorè illius tēpli donauit, arcē etiā illic nouis muris restaurauit, ædificijs, habitaculis, picturis, Regumque ac maiorū suorum imaginibus illustrauit, turribus, bombardis, machinis, armis muniuit.

Legationes publicas ad Cæsarem Carolum, ad Ferdinandum, ad Ioannem Regem Vngariæ, ad conuentus Imperiales, ad Duces, & Principes Germaniæ multo comitatu obiuit, pacem & fœdera procurando, multo verborum ornatu suadens, vt compositis bellis suis domesticis, arma ac vires suas non in viscera ipsorum, sed in Christi nominis hostes facta generali expeditione conuerterent, Regno Poloniæ auxilia ferrent, Vngariam & amissa Regna Christiana recuperarent, hæreses exterminarent, & in Sancta Catholica Apostolica fide constanter perseverarent.

Controuersias, iniurias, hostilitates inter cōfines Poloniæ, Vngariæ, Bohemiæ Regum populos pro finibus, furtis, cædibus, damnis exortas, Regis & Regni nomine diremit, pacemq; & gratiam vtrinq; reconciliauit.

Grassa-

Grassatores Polonos plebeios & Nobiles, qui sumpto habitu & nomine Vngarico, confinia Poloniæ & Vngariæ latrocinio scelerato prædabantur, factò diligenti scrutinio capitis supplicio affecit, & oram illam pacauit.

Scepusium, intra bellum Ioannis & Ferdinandi de Regno Vngariæ contendentium, ab inuasionē & prædis integrum & in colume conseruauit, Ioanni Regi Vngariæ contra Regem Ferdinandum in contentione de Regno Vngariæ fauit. Quæ tamen res non ex sententia successit, nam ex Scepusio, cuius ille Præfecturam obtinuit, cum Antonium Rinconem Fracisci Regis Gallorum Oratorem, pecuniam, tormenta bellica, & aliquantam militum manum ad Regem Ioannem ducentē, & per Regis Ferdinandi ditionem clam perumpere satagentem deduceret atq; adiuuaret, Ciues Cassouenses & Bardeiuouien: (Almani hi sunt) eductis armatis cohortibus in angustijs locorum Rinconem & Kmitam hostiliter adorti sunt. Sed hi ferro iter sibi aperiētes periculum euaserunt, amissis tamen è suis aliquot viris militaribus & tormentis bellicis. Quæ ciues illi vnà cum equo Kmithæ adempto perforum in triumpho cum clamore & scommatis, tanquam re benè gesta circumduxerunt. Cæterum cum hi ipsi Cassouenses, & Bardeiuouenses ad mercaturas, & negotiationes suas domo egredi-

R 5

di, ac

di ac venire in Poloniam ob metum Kmithæ non audirent, reconciliationem per Regem Ferdinandum apud Sigismundum Regem Poloniæ, & apud Kmitham quesierunt. Ad quàm tamen, cum ea per Sigismundum Erbestain Consiliarium Ferdinandi inchoaretur, cum proceribus Polonis, Kmitha non venit: remittens tamen non nihil de seueritate animi, in gratiam Regiam per Ioannem Taszycki Iudicem terræ Cracouiensis, & per alios honestos homines suisq; studiosos, rem illam transegit. Arbitri ciues illos ad facienda damna, & Venerum Magistrum ciuium cum nonnullis alijs primarijs ciuibus, ad carcerem condemnarunt. In quo vnà die duriter habiti, post emissi supplices ad pedes Kmithæ prostrati veniam rogârunt, & ad sua abierunt.

Conuiuia crebra sumptuosa, sed ebria egit, in his delectabatur, conuiuas vino obruere, ebriosq; facere, paribus cum eis certans poculis. Inter quæ donare solebat militaribus viris, equos, vestes, annulos, torques, pecuniam, & cætera id genus donaria, quæ orationis suæ iucunditate acceptissima illis faciebat.

Hominibus calamitosi, & iniuria pressis, consilio & ope, cum apud Regem, tum in Iudicij subueniebat pauperibus, egenis, monachis, hospitalibus, scholis Eleemosinas largiter donabat.

AVARI-

AVARITIA KMITHÆ.

Has tantas virtutes ingentia vitia æquabant, vel superabât, odiû, asperitas animi, cupiditas crudelitas, legum Regni, praua interpretatio, & ad Rempubicam subprætextu boni publici perturbandam, cum factiosis coniurationes, propter quas nulla Comitua omni anno habita, nulla consilia Regum in bono ordine & defensione constitui poterant.

Decimas Ecclesijs iure diuino & humano debitas inuitus ac malignè dabat, pecuniam probis conuentam, aut non soluebat aut diu retentam exilitèr soluebat.

Villas Monasteriorum conductas tenuit, ex quibus fructu amplissimo percepto non quod pactum fuit, sed quod & quantum cupiditas permisit, ægrè miserèque soluebat.

Apud Ecclesiasticos, & apud cæteros creditores, qui vel verecundarentur vel non audent suam repetere pecuniam, intentione non soluendi, commodatam sumebat, quos postea vel ducendo tempus, vel iocando & mulcendo eludebat.

Iudeos deplumabat, commotis & concitatis in eos in Comitijs Regni clamoribus nunciorum Equestris ordinis, vel ad refringendam eis merca-

mercaturæ licentiam, vel ad furta inhibenda & publicanda, vel ad vsuras minuendas ac tollendas, vel ad ferenda bireta & signa in vestibus glauci coloris. Ad hæc auertenda Iudæi collata in cōmune pecunia ingētia ei munera afferebāt.

Hac eadem ratione mercatores Cracouienses emungebat, proposito ac promulgato rumore de permittenda ex totius Conuentus decreto, libera Iudæis omnis generis mercatura, quod scilicet Iudæi paruis lucris contenti merces suas minoris, quàm Christiani mercatores vendere solerent. Hinc hi ipsi mercatores rebus ac lucris suis metuentes, munera magna Kmithæ dabant, quo vetus mōs mercandi conseruaretur & Iudæi in pristina eorum restricta mercatura continerentur.

Similitèr in Comitijis fecit, vt instante vniuerso Regno Iudæi è Polonia eijcerentur propter furta & fraudes eorum in Christianos, mox Christiani mercatores vt pellerentur Iudæi, Iudæi contrà ne expellerentur, vtraquè pars munera dabant. Kmithæ quidem maiora, cæteris Consiliarijs, & nuncijs equestribus minora, quibus ille veluti instrumentis ad huiusmodi nequitias, & sicophancias utebatur. Et hoc est illud Ex eadem fidelia duos parietes dealbare.

Ad eundem modum ciuitatem Cracouiensem vindemiabat. Nam omni anno aliquos è plebe

plebe in Senatum ac in numerum consulum eligebat: in eo non spectans, nec honestatem generis, nec industriam, non vsu rerum, non virtutes, non conditionem status, sed qui plus numerarunt, sellularios, sartores, sutores, pistores, lanios, caupones, homines item versutos, ac sibi addictos ad dignitatem consularem, ac Senatoriam pro pecunijs promouit. Cum quibus honesti consules non sunt dignati in Senatu sedere, sed aut subtrahebant se ab illorum consortio aut officio Senatorio abibant, renunciabant: ne cogerentur illorum acta probare, aut ijs reclamantes, odium & persecutionem subire Kmithæ.

Senatum etiã ipsum Cracouiensem coegit; partim blanditer, partim minis ac terrore donare sibi nunc aurum & argentum, nunc cupas & pecuniam ac monilia preciosa. Nonnunquã etiam per speciem crediti non paruam ab eis pecuniam mutuatus est, quam nunquam tamen eis postea reddidit.

Adhæc cùm nonnulli ex ciuibus præcipuè Cracouiensibus quæstias haberent à Nobilibus villas ac possessiones in iure militari fundatas, ex quibus pro iure Regni expeditio bellica Reipublicæ debebatur. Hos Kmitha volens despoliare commouit contra eos hos istos equestris ordinis nuncios, qui magno clamore in Comitijis instite-

runt, vt

runt vt iisdē ciues viri probi, possessionibus illis ex decreto Conuētus priuarētur: scilicet quòd hi ipsi ciues cūm ex mercatura viuerēt, vina potionesq; amphoris, & merces suas cubitis venderent, alioq; non essent qui cū nobilitate vnā militare, & in acie cōtra hostes dimicare deberēt: quos questus, voluptas, ignauia, pusillanimitas timidos fugitiosq; arguerent.

Quæ res cūm inuidiam ciuibus illis peperisset, ferueretq; contentio illa, territi ciues ad Comitia ob id vocati, quisq; pro se dona ac pecuniam Kmithæ & cæteris insidiatoribus obtulerunt, & obruratis oribus clamantium absoluti discesserunt, Sic hi lupi tondent oues miseræ.

Serui ac Domestici Kmithæ.

AVla, clientes, seruitores, ministri inquinatissimi fuere. Erant enim qui se illi addicebant nobiles ac plebei homines egentes, alcatores, potatores, prodigi, temerarij homicidæ, qui in malis causis seueritatem legum metuentes, apud eum delitescabant, & ob solam impunitatem nulla ei mercede seruiebant. Quòd licet Kmitha pius ipse ac religiosus esset, catholicumquæ se exhiberet, hæreticosq; execraretur, ipsos tamen hæreticos quòd opera eorum vteretur aliquādiu apud se fouit. Stanislaum Orzechowski Sacerdotem Decanum Præmissiensem ac Plebanum

banum Iacobum Iessouitam Przyluski Notarium Plebanum, Martinum Krowicki Notarium Plebanum, vxoratos, falsarios, ac periuros homines, qui vt i oues morbida non solum aulam eius, sed multos in terris Cracouia, Sandomiria, Rufia nobiles ac plebeos nefaria Picardorum hæresi infecerūt. Quos ipsos sacerdotes postea Kmitha ipse à se expulit, & persecutus est. Sed habebat insuper in curia sua alios seculares homines, Atheos multis vitijs contaminatos, Iurkum, Album Petrum, Baranowskium, Kumelskium, Broniewskium, Odolińskium, Sczerbas, Pelkas, Dambicios, Iudices, Subiudices, rabularum gregem, versutos quidem illos ac maliciosos præuaricatores, cæterum, specie aliqua probitatis vestitos, dolisq; ad perterrendos ac emungendos homines, ad turbas cōtra Regem excitandas, & ad causas præuè indicandas instructissimos.

De iniustitia in Magistratu.

Iustitiā in Magistratu quæadmodū voluit administrabat, quam licet aliquando nō tam summo iure, quam æquitate, pro tenuioribus cōtra potentiores temperauerit, eam tamen nō sēper, non vniciq; nō eodē tenore administrauit.

Functio eius Capitanealis in terra, & Præfectura Præmissiensi, & omnis vicinia eius sæua, Tyrannis erat. Nam cædes & homicidia clientum suorum, & cæterorum Nobilium hominum

hominum contra leges occisorum, funera arbitraria habuit, quãti ea voluit æstimauit. Nec meritis pænis homicidas illos affecit. Occisus est in domo sua Drohoiewski per Peikam scelere ac inuasiõne nefaria, cui post cædem & fugam ad se reuerso fauit Kmita & pænam capitis ac honoris, interposita legitimo iudicio mora, auertit, & ad compositionem pecuniarum reduxit.

Occisus est Laurentius Woiakowski Iudex Præmissiensis ciens Kmitæ à Ioanne Rozborski, eum homicidam exulẽ infamem iudicio damnatum Kmita in integrum restituit, ac sibi adiunxit, Nicolao Orzechouio syluas excidit, vsu Sani fluminis per vtramq; bonorum eius ripam fluentis, vi ademit Matri eius Bronissæ, item Krasicio, Sliwnicio, Ostrowscio eundem fluium Sanum à bonis eorum auertit, & piscatoribus Præmissiensibus certa pecunia locauit.

Stanislaum Iaskmanicki, Ioannem Staréchowski, Andream Krukiennicki à siluarum Regiarum vsu contra eorum Priuilegium prohibuit.

Droiowskij campos Sementarios per vim ademit, Venceslaum Sliwnicki, & Iacobum Krasnicki ferro ac igne persecutus bona ac fortunas eorum vexauit, vastauitque.

Catharinam Czafzyńska primariam familiam, alienis perlucris, hisque à Petro Brzescianski efflagitatis, sæuo iudicio bonis paternis atq; auitis

auitis exuit, sed & plures alios eiusmodi perlucris acerbè afflixit, ac proscripsit.

Mosciscensium, & Nizankouicensium Opidanorum ius ac libertatem oppressit, Villicos etiam ac bonorum suorum procuratores, ac Vicecapitaneos duros homines habuit, qui vicinos quoscumque grauibus iniurijs ac damnis afficiebant.

Hac eius Tyrannide, cuncti Nobiles terræ Præmissiensis auersi Kmitham quem ante amauerunt, post inuisum habebant.

De turbis in Republica contra Regem.

Qualis autem in administranda Republica fuerit, aut quantum ei in tempestiuo studio & fructicia profuerit, nocueritque tum ex supra scriptis, tum ex his quæ sequuntur actionibus eius facile iudicari potest.

Creditus quidem est publicæ rei amator esse, sed ab his qui turbulento vt & Kmitha ingenio fuerunt, & quicquid Respublica sit, penitus nescierunt. Et sub priscais illis Senatoribus Petro Tomicio Episcopo Cracouiensi, & Christophoro Szydlouicchio Castellano Cracouiensi, qui ambo erant Cancellarij, duo lumina Regni, ad Reipub. gubernacula sedentibus, status eiusdẽ Reipub. si non optimus in illa plebis in obedientia tol-

entia tollerabilis tamèn erat. Hi enim duo sapientissimi consiliarij Regi assidentes, tranquillitatem Regni custodierunt, homines quietos in Senatum elegerunt, plebem verò furere, & publicam rem turbare non permiserunt. Verùm his rectoribus vita defunctis, maxima mutatio facta est. Nam & Tarnouius, Kmitha ipso turbulentior, nunc obmittatur Kmitha ad amplissimos Regni Magistratus per Reginam euectus, Ducè se omnibus factionis præbuit: equestremq; ordinem uti leuissimum ac stultum, ita in Republica inquietum ad se traduxit, & per eius temeritatem quæ voluit tum priuatim tum publicè in omnibus Comitij Regni fecit, & rem eo deduxit, ut ex Republica non mala pessimam reddiderit. Ipsi verò equestri ordini tantam potentiam quæserit, ad omnia publica negotia turbanda & confundenda, ut his obstantibus nec Rex, nec lex, nec ius, nec fas, nec publica honestas aliquid etiam nunc valeat, nec Regnum ordinari, nec defensio certa constabiliri, nec iudicia exerceri, nec Comitia concludi possint.

Statuta Regni a vitijs correcta & abrogata.

IS igitur Kmitha in Comitij Regni Anno Domini Millesimo, Quingentesimo Trigesimo, Quarto

Quarto Petricouia, absque Rege (Vilnae tum Rex erat) actis, leges, ac statuta Regni quæ perplexa, & pugnancia inter se erant, iudicibusq; varios ac in certos sensus iuxta versuras rabularum interpretationes ad decernendum afferebant, ea inquam statuta ex eiusmodi errore, & perplexitate per præcipuos Iurisperitos spirituales ac seculares, ex toto Regno delectos à longo tempore magno Regis sumptu, maximo equestri ordini rogatu ac desiderio correctæ, & in æquabilem iuris formam redacta. Kmitha cum alijs idem secum spirantibus voto ac sententiâ sua sustulit persuasitq; ut communi torius illius Conuentus decreto abrogarentur, priora verò illa originalia statuta ut erant in suo tenore permanent, id quòd ea intentione hic insidiator iusticiæ alienæ fecit, ut causas & contrarias iusticias & iniusticias de iure litigantium pro affectu & pro muneribus veteribus his statutis vtens iudicaret, ac versaret prout veller. Quàm abrogationem legum huiusmodi correctarum, approbarunt & ceteri Consiliarij & nuncij terrarum, quorum Petrus & Martinus Zborowski factiosi homines antesignani fuere. Visa sunt enim illis statuta illa vetera rebus eorum utilia atque accommodata.

Sed & alia multa indigna in eo ipso conuentu, & priuatim in domibus Magnatum, sub illa absentia Regis à Regno comperata fuerant in

rant in Reipub. & in Regis perniciem, quorum effectus in sequētib; anni 1536. Comitib; Cra-couiensibus, & in castris ad Leopolim in bellica totius Regni expeditione apparuerunt.

Kmitha per plebem, instigante Regina, e-tiam veluti turbine ac dæmone quodam, Regno Poloniae infesto, sese his insanis practicis immi-scēte, & occasionem maiorem his malis præ-bente. Hæc enim mulier mortuis Tomicio & Szydlouecio duobus sapientissimis rectoribus Regni, statim totam potentiam imperandi & cō-fundendi omnia ad se transferens, Episcopatus, Palatinatus, Castellanus, & cætera Regni offi-cia vendere cæpit, fenestramq; hominibus am-bitiosis malis artibus præditis, Reipub. ignaris, nihil de Republica meritis, sibi Regiq; ignoris, patefecit ad Magistratus inuadendos, ac à se pe-tendos, viris probis, meritis, prudentibus, spre-tis ac reiectis. Hæc. Latalicium vanum, ac te-mulentum hominem, Gamratum adulterum, Buczacium fornicatorem, Lucam Gorcanum auarissimum sæneratorem, Izbieńskium homici-dam, Branickium Rabulam, Noscouium mer-catorem, Dzierzgouium stupidum, & telluris inutile pondus, Leonardum Ciffram, Droieui-um hæreticum, Vchanium fantasticum Ardelio-nem ac hypocritam pestem perniciemq; Ecclesie ad Episcopatum promouit. Hæc peregrinos, externosq;

externosq; Italos, Alphonsum palamedem, An-dream de Valentinis Alexandrum Annibalem, Scipionem, Carolum Metellum, Vittos, Fran-ciscos scortatores, sodomitas, cinædos, atheos, epicuros, & cæteros impuros mercatores ac fi-moniacos, qui Regnum ante exfuxerunt ad Ec-clesias Cathedrales & collegiatas, ad Plebanias ac ad reliqua opulenta sacerdotia & eorum pen-siones introduxit. Non dissimiles his & secula-res Consiliarij quos Regina promouit fuerunt, quorum piget sentinam commouere.

Hæc mulier odia inter proceres, opibus, clientelis, autoritate vigentes inflammabat. Al-terum exacuens in alterum, quemadmodum id vidimus inter Kmitam & Tarnouium ma-gno Reipublicæ malo.

De motu Graui propter Cancel-lariatus.

SEcuta sunt sub finem Anni Domini 1536. Generalia Regni Comitia ad diē Sancti Mar-tini Craouiæ indicta, ad periuria, & falsa testi-monia, ad homicidia sistenda, ad iuramentum à Rege iuueſte per subditos accipiendum, ad con-sultandum de vleiscendo Valacho, qui paulò superiori tempore Ruffiam igne & ferro popula-tus est, ac ad pecuniam in exercitum ab omnibus conferendam. In his Comitijs Kmitha vnà cum

alijs turbulentis res & negotia publica stultè tractans, grauissima in Regem odia, fædosquè ac ignominiosos Regno motus suscitauit. Quibus initium & causam ambitio Cancellariatuum Regni tùm vacantium præbuit. Vacarunt enim post mortem Tomicij & Szydloicij ambo simul Cancellariatus, qui sunt magnæ in Polonia reputationis. Et non nisi in magnis Regni Comitjs ex præscripto statuti conferuntur. Conferuntur autem seu conferri debent, alter Ecclesiastico viro ad id idoneo vni ex Episcopis minoribus aut Camenecensi, aut Chelmeni, aut Præmissiensi, seu alicui ex ordine Canonorum homini docto, industrio, prudenti, eloquenti, fidequè ac probitati prædicto: alter verò Cancellariatus datur alicui ex secularibus veris præter Palatinos & Castellanos maiores, cuius industria prudentia, fides & probitas spectata sit, & probata, sed non facile est inuenire, etiam in maximo cætu hominum, viros ad hæc officia gerenda idoneos, iustos, & non auaros. Qui enim sunt auarissimi, hi hos Magistratus maximè ambiunt, & per factiones plebisquè subordinatos clamores rapere conantur. Hos Cancellariatus tùm vacantes ambiebant multi, clam alij, alij apertè sed plures ex secularibus, Kmitha eodem ad id stimulante, & quiritante apud illos, quod hos toto præ-

terito

terito tempore, primarij Episcopi, & summates Palatini, aut Castellani cõtra leges Regni gesserint, ac in sua ipsorum potestate detinuerint. Venisse iam tempus, quo ius Regni & lex de Cancellarijs lata, & cū cæteris legibus violata, in ius tandem ac in executionè reducatur. Igitur varij varias hac de re practicas pro se quisque faciebant. Erat eo tẽpore Ioannes Choiniski Episcopus plocensis, Iuris vtriusq; Doctor in literis diuinis, & humanis egregiè doctus, ac eloquens, prompti ingenij, & exacti, vir iudicio, vultu, vita, morum, honestate ac religione conspicuus, iustitiæ amator & custos. Is per illud tẽpus quò Rex in Lituania ab Anno Christi 1526. ad annũ vsque 1536. commoratus est in Curia Regia, agens Vicecancellariũ Tomicij & Szydloieci in Regno degentium, obiens negotia omnia externa ac domestica, quæ tùm magna ac difficilia eueniebant, egregiè vti alter Tomicius expediebat, & ob id gratus Regierat: Regina contra quod & clarus, ac magnanimus esset, & quod eo ad cupiditates suas vti non poterat, inuisus fuit.

Sed & Cricius Archiepiscopus Gnesnensis inuidit Choinicio famam pudentiæ, & nominis claritudinem, similiter Kmitha cū factiosis quod meruerat, ne Rex Choiniciũ ipsum Cancellarium crearet, summa vi ipsi Choinicio aduersus fuit. Hi igitur inuidi Regina Cricius Kmitha, cum suis

S 4

suis dabant operam, vt Choinicium non sine-
rent obstantibus Regni constitutionibus Cancellariū creari, sed eum ipsum Cancellariatum ad Petrum Gamratum Episcopum Præmissiensem deferri contendebant.

Erat autem Gamratus ex terris submontanis Patre Plebeio ortus, sed qui possessionibus coemptis à Nobilibus, & vxore ducta nobili: nobilis est reputatus. Is initio Erasmi Ciolek Episcopi Ploensis Romæ diu degentis Marschalcus erat, nullis literis imbutus, corpore vasto ac procero, In Sacerdotijs aucupandis fortunatus ac prodigus. Ex Italicâ Cortisanorum disciplina, praua conscientia, imposturis adulterijs, stupris famosus. Hunc talem hominem Regina constellatione genethliaca inter eos congruente, inconsulto quodam impetu Kmitha eum promuente, omnibus fortunis ornandum sibi desumpserat, & paulò ante Præmissiensem Episcopum à se factum, Cancellarium Regni creare institit, quod eum sibi in hoc officio ad nutus suos obsequuturum esse existimaret. Cricius etiam in gratiam Reginae, cui sese addixerat & odio Choinicij quo is à Cancellariatu repellere-
tur, hæc de Gamrato creando practicas cupide amplexus est, & in curia Regis neglecto Archiepiscopatu præsens ipse Cricius manere se-
per decreuerat, à quo Gamratus omnem scribendarum

darum literarum rationem legationes, ac respon-
sa, dictata à Cricio veluti ex fonte atquè à Pedago-
gogo hauriret.

Sic re de Gamrato cōstituta, Regina, Cricius, Kmitha crebro Regem pro sigillo Gamrato dando fatigabant, at Rex cum nec verbo, nec signo eis annuens rem tacitus duceret, Regina rursus cum ipsa per se, tum per Cricium & Kmitham instigabat nuncios equestris ordinis, quo à Rege contenderent Cancellariatus secundum statuta Regni minoribus Consiliarijs, nominatim verò Gamrato conferri, Alioquin Comitiam illa conclusionem non habitura, cum non consentirent, nec ad contributionem exercitui ad viciscendum bello Valachum conferendam, nec ad iuramentum à filio Rege iuvene subditis præstandum. Id quod à Regina nuntij turbulentissimi illi homines cupidissimè arripuerant. Cum autem Rex hanc nuntiorum petitionem solito silentio duceret, eo quod Gamratum hoc officio nō dignū videret, mox odium in Regē coortum est, & Kmitha Reginae rem ex asperate colligi ac scribi capta sunt in alijs Cracouiensibus Comitijs, & Regi exprobrari grauamina, quæ Regnū à Rege contra Rēpublicam pateretur. Quorum hæc præcipua fuere scilicet. Quod ius & priuilegium eligēdo Regis in electo Sigismundo Augusto Rege iuvene Regis filio violatum sit.

- De theloneo nouo Regi adimendo.
 De theloneis nouis Nobilitati & ciuitatibus concessis,
 De theloneatoribus Regijs impossessionatis.
 De grauaminibus & rapinis theloneatorum.
 De adēptis bonis Nobiliū iure prius nō victoriū.
 Quòd citationibus Regijs ad curiam homines citarentur.
 Quòd Abbates & præpositi Monasteriorum plebei crearentur.
 Quòd Sculteti Spiritualium bellū nō seruiunt.
 Quòd bona terrestria seu militaria Ecclesiæ immunitati sunt adscripta per quod seruitiū bellum est diminutum.
 Quòd fraternitates Ciuitatum noxiæ sunt Nobilibus.
 Quòd Nobiles pro delictis in ciuitatibus capiuntur.
 Quòd terræ Prussæ Zator & Osuiecim ex quibus Rex tributa percipit, bellum cum Regno non seruiunt.
 Quòd Rex inhibitionibus suis iudicia perturbat.
 Quòd Rex ad bellum Nobilitatem educit eum hostis nullus est.
 Quòd Ciues & plebeij ad Ecclesias Cathedralis inducuntur.
 Quòd Ciues & Plebeij homines, bona militaria possident.

Quod

- Quòd Cancellariatus magnis Dominis contra statuta conferuntur.
 Quòd pleriq; Palatini & cæteri Officiales, plura simul Officia incompatibilia contra ius publicum obtinent.
 Quòd arces & Præfecturæ peregrinis conferuntur.
 Quòd literæ ac priuilegia ex libris Cancellariæ descripta, non faciunt fidem de bonis & possessionibus Regijs.
 Quòd Regina multa bona Regiæ mensæ ademit, vt ea restituat, & dote sua sit contenta, & deinceps bona Regia à Nobilibus non redimat.
 Palatinatus Russiæ datus Stanislao de Sprowa homini in Russiā impossessionato, Castellaniæ Leopoliens. Belzsch, Polanecsch. datæ hominibus illic impossessionati Præpositura Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis, data Italo Andreae de Valentinis Medico Regis, Canonicatus Cracouiensis & Præpositura Pultouiesch. data Carolo Italo, Plebania in Prossouice data Alexandro Italo Citarædo.
 Stanislao Odowasz Palatino Podoliæ Capitaneatus Leopoliensis ademptus contra priuilegium aduitalitarum.
 Contra Kazanowski Iudicem Lucouiensem vadia triplicata imposita.
 Zarembe Oppidum Grabow ademptum.

Nicola-

Nicolaus Chorazycz Kierlinski, Bolesławszycki, Dersniak, Bieliński pro bonis citati, Litwińskim villa Litina adempta.

Crimen læsæ Regiæ Maiestatis lætæ per interpretationes extenditur, prout in Castellano Biechouiensi accidit, qui Lubraskium nuncium cū legatione ad Conuentum in via occidit.

Multæ præterea querellæ de iniurijs priuatis à Capitaneis à Consiliarijs, ab officialibus, à ciuitatibus ordini equestri illatis conscriptæ fuerant, sed summa omnium in his quatuor articulis ferebatur, vt Rex theloneo priuaretur, vt Regina bonis Regijs, per eã ex oppignoratione redemptis priuaretur.

Vt Officiales Regni ex eorum Officijs ac Magistratibus deponerentur, vt Zborowski & Gamratus Cancellarij Regni crearentur.

Cumq; ea contentio de his articulis superscriptis, propè iam condicta composita ac sedata videretur, in illis Comitijs, Rege ad cætera omnia consentiente cum ad hos vltimos quatuor articulos consentire nollet, subito vehemens ira, ac indignatio veluti turbo quidam nuncios illos in rabiem, vt quæ iam concordata ac composita fuerat, irrita omnia fierent. Quos etiã Nuncios vehementius exagitaui iudiciũ de Odrowasfactum, & Cancellariatũ præter spem Ioãni Choiniski Episcopo Plocensi datus, ita vt nec iuramentum à

tum à Serenissimo Rege iuueni filio Consiliarijs præstitum audire, nec de vliscendo Valacho hisce reuoluerint, sed concitato cursu honestatis ac officij sui erga Regem Dominum suum obliti irafurentes, & minas spirantes, non Regi vale dicto nec Conuentu concluso discesserint.

De quo quidem Odrowasij iudicio, & distributis Cancellariatibus quoniam horum mentio est facta, quo res vt acta est sciatur attingendũ hic breuiter videtur.

Persuasum certumq; Regina cum suis habebat, quod Rex ad assiduas ac importunas eius preces Cancellariatum Regni daturus fuisset Gamratho, qui spei iam indubiæ plenus poposcit à Choinicio Cancellariæ perito libros Cancellariæ, Notariosq; ac scribas peritos, quos illi Choinicius liberaliter se daturum obrulit. Nam non putabar hoc officium mandari sibi debere, eò quòd & statutum, & Reginam, & alios plurimos, præcipuè vero terrarum nuncios obstare sibi videret. At Rex tacitus cognitam habens Choinicij doctrinam, magnitudinem animi, prudentiam in consilio, & rerum magnarum vsum, hunc ipsum Cancellariatum illi seruabat. Adueniente itaq; die distribuendorũ officiorum frequensq; adesset Senatus. Petrus Kmitha Palatinus & Capitaneus Craouiensis Regni Marschalcus assurgens Regis iussu, verba hæc cum faceret Sac. Reg. Mtas,

Maiestas, Dominus noster clementissimus: sciens hunc morem à maioribus suis Serenissimis Regibus Poloniæ obseruatum: vt præcipua Regni officia, vti sunt Cancellariatus, Marschalcatus, Campiductoratus, Thesaurariatus, quoties vacarent, non nisi in Comitibus Regni conferrentur. Noluit sua Maiestas in hac præsentis Cancellariatum distributione contra hunc vetustum ac à se seruatum morem noui quidquam admittere, cui satisfaciens, etiam num Cancellariatus in præsens vacantes, in his Comitibus Regni consiliarijs suis, quos dignos ad id iudicauit distribuere conferreque decreuit, cognitam itaque habens Maiestas eius Regia doctrinam, iurisprudentiam, rerum magnarum vsum, eloquentiam, fidem ac integritatem Vestrae Reuerendissimæ Dominationi (ad hæc verba assurgit Gamratus credens illa ad se dici, Rege illi dicente, sedeat non vos estis, pudore confusus confedit, Marschalco interim ad Choinicium verba continuante) Reuerendissime Domine Episcope Plocensis, creat eius Maiestas Reuerendissimam Dominationem Vestram Regni sui Cancellarium, & sigillum ei per me tradit, creditque eius Maiestas quod Reuerendissimam Dominationem Vestram munus hoc publicum amplissimum ita geret, quemadmodum integritas & spectata eius fides, & Regis Regnique dignitas exposcit, Quod

ego

ego Reuerendissimæ Dominationi Vestrae feliciter eueire cupio. Et tradito ei in manus sigillo, in eandem sententiam pauca perlocutus ad Paulum Wolski Vicecancellarium creatum, sigillum ei minus tradidit. Variè tunc affectos erat videre, cum cæteros Consiliarios, ac nuncios furiose clamoros, alios quidem gaudentes, alios dolentes, tum verò hos duos Episcopos, quorum alter de frustra spe deiectus fabula hominum fuit: alter verò præter spem euectus honorem, ac laudem est consequutus. Et ad insperatum illud Regis factum Choinicius aliquandiu obstupuit, cæterum videns hæc geri Dei voluntate, in cuius manu cor Regis est, egit Regi gratias, quod amplissimam hanc dignitatem ad eum detulit: quod eum dignum iudicauit, quæ cæteris præferret, cui sua & Regni arcana crederet. Agnoscere se tanto muneri imparem, & ob id nunquam hunc Magistratum cupiuisse: neque verbum vllum vt sibi mandaretur Regi dixisse: Deum te & Regem testem habere, non auersandam tamen sibi esse gratiam ac voluntatem Regis Domini sui, neque contraire voluntati diuinæ præbenti exercendæ sibi virtutis ac bene merendi de Regno materiam, operam se suam in sancto administrando officio Deo & cunctis hominibus probare velle. Offensa hinc erat, ac irata Regi Regina propter Cancellarium Choinicio collatum, & per plures dies ad Regem

venire

venire noluit. Aestuabat igitur graui odio apud plerosque Choinicius, duabus de causis, tum quòd Cancellariatum còtra statuta caperit, tum quòd contra temeritatem subditorum ac nunciorum terrestrium, pro Rege & pro conseruanda autoritate Regis magno sèper animo resisterit. Putatusq; fuit elati animi homo ac Nobilitati infestus, qui tamen seuerior in vultu verbisq; apparet, se tamen ipsa humanus & clemens erat, Regniq; in concordia tranquillitate, & in bono ordine ac obedientia conseruandi studiosissimus. Quem postea, vix dum elapso dimidio anno, cognito eius in custodia Reipublicæ optimo animo, mutata voluntate amarunt etiam hi, qui irati illi erant & Cancellariatum illi inuiderant, latantque sunt habere se talè libertatis Regni, iurisq; publici custodem, qui contra Reginae machinationes, quas illa per Gamratum si Cancellarius is crearetur aggressura putabatur, in trepide sese opponeret. Hæc opinio seu suspicio de Regina & Gamrato, per amicos Choinicij Senatores eo nesciente, iniecta fuit inter equestrem ordinem, quæ illum (semper est inconstans, ac mutabile vulgus) in proposito facile mutauit, & ordium à Choinicio in Reginam & Gamratum auertit.

De Odrowassij iudicio priusquàm dicatur operæ precium est, de fortuna eius initijs & successibus aliquid referre.

Erat

Erat Odrowas non multo ante Reginae beneficio factus Palatinus Podoliæ Leopoliensisq; & Samboriensis Capitaneus. Is desponsauerat sibi Annam Virginem sororem Ducum Masouiae steriliter defunctorum, in quibus stirps Regum mascula à Piaſto vsque continuata defecit. Hæc virgo Dux, posteaquam Masouia per mortem Ducum deuoluta, ad Regnum est incorporata, habebat illic in Masouia quasdam possessiones ad sustentandam se donec innupta esset, non in hæreditatem, sed in vsum fructum à Rege sibi assignatas. Hæc virgine ducta vxore Odrowas, & accepta à Rege iam Domino Masouiae dotali pecunia, noluit vti iuuenis & à stultis persuasus, cum vxore possessionibus illis cedere, nisi easdem Rex ab eis redimeret, & nisi pro iure legitimæ successionis satisfaceret. Monitus à Rege pluries per literas & nuncios humanitè, vt bonis illis, quæ nullo sibi iure vendicaret, excederet: verùm cum parere mandatis nollet, & titulum sibi insuper Ducalem vsurparet, pænalibus mandatis inde est exactus, & ad iudicium Comitiorum Regni citatus læsæ Maiestatis est damnatus, & Capitaneatu Leopoliensi priuatus. Ex Samboriensi verò Capitaneatu, quem oppignorum tenuit, per Reginam redemptus, licet vtrumquè iure quòd vocant aduiralitio, Reginae beneficio, reseruatam antea ad vitam habuerit, Flebat O-

T

drowas

Odrovas in illo iudicio, flebat vxor eius, pro-
 strati ad pedes Regis & Reginae clementiam ob-
 secrantes.
 Idem nonnulli ex Senatoribus pro suppli-
 cibus orabant, quorum alter per aetatem, altera
 per sexum & consilij inopiam, errare cum excu-
 satione poterant. Miserabilis facies illius iudicij
 fuit. Misereri fortasse Rex potuisset, sed Regina
 nullis nec precibus, nec lachrimis moueri potuit,
 quae ad bona Sambor summè festinabat. Ea
 iudicij vt videbatur acerbitas, vt sunt hominum
 mutabiles paruis etiam rerum momentis volun-
 tates ac sententiae, & ad male interpretandum
 rectè acta procliuës, non modo nuncios, illos E-
 questris Regi aduersos, sed & plerosq; Consili-
 arios etiam hos, qui sententijs suis Odrovasi-
 um damnarunt, ac vniuersum Regnum fama sese
 late diffundente, adeò in Regem & Reginam ex-
 acerbauit, vt ex eo tempore, non nisi dira quæq;
 in eos spirarent. Eratq; tum acerba omnium
 querella Regem, leges, immunitates, aduicali-
 tates, Priuilegia, ius ac libertatem Regni viola-
 re. Iusturandum subditis non conseruare, Regi-
 nam quos illi collibuerit, bonis Regijs, spoliare,
 officia ac Magistratus Regni indignis conferre,
 & pro libidine omnia confundere. Actum iam
 & conclamatum esse de iure ac libertate Regni,
 neque aliud cupuisse tunc militarem ordinem &
 plerosq;

plerosq; ex ordine Senatorio, quam vt primo
 quoq; tempore omnes simul in castra bellica con-
 gredierentur, ad ius & libertatem Regni, clamo-
 re, temeritate, ac tumultu multitudinis recu-
 perandam. Hinc consilia & coniurationes perni-
 ciosae, in cunctis Palatinatibus Regni per cete-
 brosos ac loquaces homines practicabantur. Et
 ex eo tempore beneuolentia inter Kmitham & Re-
 ginam propter Odrovasium in odium conuersa est.
 Solutis sic vt superscriptum est Comitibus
 illis Cracouiensibus, & non conclusa in his Re-
 gni ordinatione, neq; contributione, ad exerci-
 tum vlciscendi Valachi causa, scribendum, Rex
 euocata edictis suis ad bellum Valachiae vniuer-
 sa Regni nobilitate ad Leopolim se contulit, loco
 illic ad conueniendum castris indicto animo,
 & intentione terrendi cogendiq; nobilitatem,
 ad conferendum in exercitum, alendum pecu-
 niam. Cuius tamen nobiles ne mentionem qui-
 dem apud se fieri passi sunt.
 Adeò obstinatis, & ira accensis in Regem ani-
 mis eo etiã numero conuenerant, eo apparatu
 quo etiã cū Turco configere potuissent. Verùm
 pro armis literas, priuilegia, libros legum ac statu-
 torum, calamos ac scripturas in manibus circum-
 ferebāt, queillas, rixas, disputationes, conciones
 furiosas, aduersus Regem & Reginam, consiliariosq;
 primarios de iure Regni, de legibus violatis de
 libertate

libertate oppressa, deque cæteris rebus in Conuentu Cracouiensi ante aliquot Menses tractatis in castris illis ad Leopolim iterabant agebantq; Quam turbarum antesignani & instrumenta Kmithæ fuerunt.

Petrus Zborowski Castellanus Malogostensis.

Martinus Zborowski frater eius Pincerna Regis.

Ioannes Tazzycki Iudex terræ Cracouiensis.

Xiaski.

Valentinus Dambiński.

Sierakowski.

Parzniczewski.

Gomoliński.

Splawski.

Belicet Rex per primarios Consiliarios respondisset, omnia quæ præstari tùm in castris poterant, se exequi velle; cætera verò quæ nisi visis Privilegijs fieri non poterant, in proximè futuro Conuentu Regni deliberatione cum Senatu habita facturum se promiserit, illi tamen iustis Regis rationibus locum non darèt, magisq; ac magis furerent, nec in Valachos vlturū iniurias progredi vellent. Rex eos è Castris illis post ingentia damna Russicis per eos illata domum redire permisit. Qua seditione ac temeritate sua Valacho Podoliam, cæso illic præsidio nostro vastandam iterum, & Turco Valachiam occupandi causam præbuerunt, quàm ille anno sequenti imposi-

imposito illi vna cum nouo Waiew oda iugo Turcico in suam dirionem redegit. Sic hoc antimurale Regni Turcis proditum Petro Kmithæ tantarum turbarum auctori, & nobilium in obedientiæ, acceptum referendum est.

Extant conscriptæ hæc ipsæ furentium hominum conciones in ipsis Castris ad Leopolim habita, ita vt dictæ sunt per hominem turbulentum ac seditiosum Stanislauum Orzechowski Petri Kmithæ seruitorem, qui declamatoribus illis & eorum insanis concionibus veluti bellè ac sapientèr perorantibus multum tribuere videtur. Quæ quidem querellæ & conciones, cum de cæteris rebus, tùm de iure publico violato, ac oppressa communi omnium libertate his verbis extensa, quibus dictæ, & conscriptæ sunt, videntur rerum ignaris ingentia grauamina, & veluti Tyrannis fuisse. Contra quæ si responsa videres, videres Regem omni ferè culpa vacare. Nam Theionum Regiam vestigal est, quod Nobilitas mercaturis vtens, pendere Regi subterfugiebat. Bona etiam Regia quæ ex oppignoratione redimebantur, iuste ab vsurarijs redimebantur.

Rex etiam cætera bona Mensæ suæ Regiæ, nõ vi sed iure ac iuste à ministris detetoribus, per sufficientissimas probationes recuperabat. Quod verò homines violèti & culpabiles citatione curiali citabatur, id seper iure ac more veteri iniuriatis licitum fuisse.

Officiales autem Regni homines honestissimos ac benemeritos exautorare & degradare, nullo modo licebat.

In creandis verò Cancellarijs homines maliciosos, bonis præferre, dedecus Regni, & res extremæ dementiæ esset.

Odrovasium propter inobedientiam erga Regem & Masouizæ sibi titulum Ducatus usurpantem rectè punitum esse.

Prussiam, Olueginum, ac Zator, sponte sua Regno adhaesisse, hac lege tamen ut ab oneribus Regni liberi essent.

Ex his paucis, quæ videntur esse præcipua faciè est iudicare, quod reliqua omnia per Equestre ordinè postulatu minuta sint, & prope inania, ut pigeat quid ad ea à Rege responsû sit cõmemorare, & quia iniuste ob ea is Rex sit accusatus, qui Regni huius Poloni sub prioribus Regibus afflicti ac dilacerati restaurator ac pater patriæ erat. Etenim sub nullo priorû Regum Polonia Regni ipsû maiore religione, fide, iusticia, cultu, famâ, gloria, Senatus Maiestate, consilio, splendore, pace, victorijs, legationibus, Regû fœderibus, matrimonijs, cõgressu, amore, beneuolentiâ Casarû, libertate & diuitijs domesticis, libertate subditorû adeò floruit, atq; sub hoc vno Monarcha omnium maximo, qui latis successibus ac felicitate diuinitus ei data illud adeò illustrauit, ut par ceteris

ceteris amplissimis Regnis existimaretur, sed hæc tanta bona sua populus fructus intelligere nõ potuit.

Sic visum fuit Deo Regem bonum ac Sanctum, ne felicitas eius omni ex parte beata ac perfecta esset malitia subditorum suorum exerceri. Cui Cæsar Carolus Quintus, Rex Ferdinandus, Rex Ioânes Vngariæ, Principes Germaniæ, Turcus etiã per literas & nuncios condolentes, & eum cõsolantes, adesse venireq; cum potètia sua ad coercendã hanc tantã subditorum malitiam promittebant. Sed maluit Rex clementia ac lenitate subditos suos ad eorum ac ad officium reducere. Verum improbitas vinci nullo beneficio potest. Nam paulo post in alijs aliquot consecutus Comitibus Regni, Kmitha & Tarnouio plebè seu Equestre ordinè instigante, decreto seu plebiscito conuentus, abrogata fuit, Regi potestas causas & controuersias omnes iudicandi, prætextus rei huius erat tanquam iudicia illa ex nutu ac libidine Regine fieret, quasiq; Rex arate iam ac senio delirans, nõ posset quid in vnâ quaq; causa rectum esset pronunciare. At valebat Rex sanæ mentis iudicio, ita ut officium boni ac iusti iudicis desiderari in se passus non esset. Causas etiã in lecto æger iacens, egregie expediebat, assidentibus illi nonnullis probis Senatoribus, Regina etiã, ut iusticia iniuriatis expedita fieret cooperante. Sed alio turbatores spectabant. Qui quietos ac imbecilles homines, bonis ac possessionibus vi aut

T 4 iudicij

judicij iniquitate spoliarent, & ob id Regis iudicium pertimescebant. Proinde vt impunè, & quam diutissime alieno fruerebantur, Regi potestatem iudicandi abrogarunt.

Sed neque hoc malitia eorum contenta erat, insirerunt etiam postea in alijs Comitibus, tam Consiliarij, quam nunciij terrarum, vt Rex Regno se abdicaret, & Regi filio illud traderet, qui tum in Lituania Mascaris ac vanitati deditus nihil, quod Principe dignum esset, agebat. Tartaris conbunia Lituaniæ intra vnum annum vndecies vastantibus. Ea diuisio Regni exposcebatur, partim vt Tarnouius, vt Kmitha, vt Samuel Macieowski Episcopus Cracouiensis & Cancellarius, Rege filio dominante regnarent ipsi, partim vt remoto Rege sene à Regni administratione vnà, & Reginam etiam remouerent. Quæ tamen de Regno rectè administrando longè magis quam hi ipsi consiliarij sollicita erat, & feliciter omnia quæ à vicinis, & ab hostibus timebantur, succedebant, præterquam à subditis insidiatoribus domesticis. Quorum Rex prauos conatus, & filij Regis leues progressus videns, non fecit, quod poscebatur, & sceptrum donec vixit, tenuit. Satis inquiens esse illis temporis ad omnia post mortem suam in Regno subuertenda. Cuius tamen solius vel somniantis felicitas, utilior Regno erat, quam eorum accurata
omnis

omnis administratio. Cuius postea mortui cuncta nobilitas cum dolore & desiderio reminiscabantur. cum vidissent neglecta à Rege iuuenis iudicia publica esse, Regumq; inhonesto eiusdem Regis Lituano matrimonio ad summam infamiam & dedecus coniectos esse. Et hæc quidem tam indigna abrogatio videlicet iudiciorum, & abdicatio Regni à Tarnouio Kmitha, & à Samuele Macieowski Episcopo excogitata, & fabricata fuere. Quos reliqui omnes sunt secutus fatis malignis eos in perniciem Regni trahentibus.

De animi Magnitudine Petri Kmithæ Contra Regis Matrimonium.

Quod quidem Regis iuuenis matrimonium Lituanicum cuius supra mentio facta est, cum ad laudem pertineat Kmithæ, non est silentio prætereundum contra quod ille vti turpe ac inhonestum restitit, sequè in eo verum Regij honoris ac Maiestatis Regni Poloniæ amatorem apud omnes declarauit, & verum ac fortem Kmitham se esse testatus est. Etenim Sigismundus Augustus Rex ipse iuuenis habens à patre Rege traditam Lituaniæ administrationem, Vilnæ agens & in conuiujs, mascaris, luxu inter adulatores dissolutè viuens, captus fuit amore viduæ

Barbaræ, quæ Georgio Radziuilo patre Castellano Viliensi nata erat, & domi educata apud matrem, quæ malè semper audiuit, maritoq; iuniori Gastoldo, collocata matrem turpitudine superauit. Eo verò mortuo, Rex duxit eam vxorè clam, & nullo legitimo modo aut ordine inconsultis Rege ac Regina parentibus, inconsulto Senatu, in scis omnibus Regni ordinibus, fidem ei coniugii dedit. Cuius nuptias aulicis quibusdã suis, qui & amoris impatientia, & opum studio flagrabant, cum propter turpitudinem dissuaderet, tamen ipse sibi dissuadere non potuit, sed ea ducta omnem turpitudinem in se transtulit, & honorem ac dignitatem suam à maioribus suis acceptam, & laudem ac gloriam, qua semper ab initio floruit obscurauit, & omnes Regni ordines in summum luctum & dolorem coniecit. Quod quidem matrimonium non Deo auctore, non virtutum amore, non villo legitimo & debito ordine contractum fuit, sed Dabolo instigante per veneficia matris, per incantationes mulierum longè quaesitum, & per reliquas Diabolicas artes ac fraudes quaesitum fuit, & comparatum. Quod Regi Patri mortem accelerauit, matrem Reginam à filio abalienauit, & in Italiam abire coegit, & sororibus, Reginulis opinionem bonam diminuit, & Regnum infame, & exteris despicabile reddidit. De quo vniuersi Regnicolæ ob-

stupue-

stupuerunt exteri homines & Principes vehementer admirati sunt, & qui amici, & beneuolentes, aut sanguinis, vel alterius cuiuspiam societatis vinculo deuincti fuerant, ingentem dolorem, inimici verò & maleuoli, & laudi gloriaeque Polonæ inuidi, maximam voluptatem ac læticiam ceperunt.

Rex, & Nicolaus Radziuil Marschalcus Lituaniæ, nuptiæ huius Regiæ frater patruelis, qui matrimonij huius perficiendi pars magna erat, cum viderent sine Senatorum Regni consensu matrimonium illud ratum non esse, & neque omnes ut consentirent induci posse, duos præcipuos Samuelem Macieowski Episcopum Cracouiensem Regni Cancellarium, & Ioannem de Tarnow Castellatum Cracouiensem exercituum Regni Capitanum adorti sunt. Quos varijs rationibus & promissis, ut assensum præberent pellexerunt, sperantes fore, ut ceteri facile consentirent illis duobus in partes suas adductis. Mirandum est, quod qui præcipuum in Republica locum tenerent, & honoribus amplissimis ornati essent, & tales se esse semper videri voluissent, quasi Reipublicæ amâtes essent, apud hos, huiusmodi corruptelas locum habuisse, ut cum nihil illis aut ad honorè, aut ad felicitatè deesset, obliti tamen fidei & officij, ac iurandi quo se Principi & Reipublicæ obstrinxerunt, spe quorundã

comme-

commodorum, coniugium illud approbarent. Qui mox, mortuo Rege Patre, misso in Lituaniam cum literis nuncio, suaserunt Regi filio, ut sublato iam hoc vno omnium obice, maximo Rege Patre, arbitrari suo Rex ageret. Vxorem ac nuptam suam, publice ad se in aulam suam acciperet, & ei cohabitaret. Quo ille nuncio de morte Regis Patris accepto, non ingemuit, sed ut illi suaserant tabellario latitare, in hospitio fuso, & morte Regis Patris per triduum occultata, uxorem turpem ac veneticam missis pro ea aulicis, & optimatibus Lituaniis in Suburbio Vilnensi in arcem ad se deduci, & uxorem ac Reginam nominari, atque haberi ab omnibus suis edixit. Quo perfecto, tum demum productus est tenebris tabellario illo, veluti tum primum accurrisset, mortem Regis Patris annunciari fecit. Quod autem Tarnouius matrimonium hoc inhonestum probauit, ac defendit, Regemque in eo confirmavit, putatus est id fecisse non beneuolentia erga Regem iuuenem, sed dolore ac maleuolentia in Patrem eius Regem, & matrem Reginam, quos obnegatum sibi ab eis Capitaneatum Cracouiensem, Kmihæ vero eius inimico datum, summè oderat, & subinde Regem filium oblata hac matrimonij turpitudine sperni à subditis, pelliq; à Regno subdola hac arte voluit. Ambiens ipse ex promisso Astrologorum: se in

locum

locum Regis eieci, Regem electum iri. Quod cum ei non processisset, euectis non paucis suorum Regis iunioris beneficio ad dignitates & possessiones dignis & indignis, aperte Regem ipsum magis odisse cepit & factis conspirationibus, graua ei impedimenta iogessit semper & omnia deinceps comitia dissolui sine vlla conclusione procurauit, & multis contumelijs per nuncios equestris ordinis, quibus veluti canibus rabidis abutebatur, Regem mansuetum in iisdem Comitibus indignissime affecit.

Maciejouius verò licet intelligeret turpem esse hunc Regis Regniq; casum, tamen cum reditus Episcopatus eius Cracouiensis in sumptus ei non sufficerent, conciliaram sibi habere Regis voluntatem matrimonij huius approbatione voluit, ad omnia quæ vellet, à Rege consequenda. Multos itaq; ex suis ad Magistrarus & officia publica euexit, & amplis fortunis auxit. Duodecim item millia florenorum stationis, per plures annos ex Gedano retentæ, donari sibi à Rege impetrauit. Multa insuper bona mensæ Regiæ datis super ea Priuilegijs, & Pecunia accepta distribuit, vendidit, ac dissipauit, & aia ad genus tuorum amore, à recto abductus indigna. Adeo etiam sumptuosus habuit, patrem, matrem, fratres, sorores, adeoq; gulosos, ac voraces, ut in eum luxum, non modò facultates eorum

tes eorum sed ne reditus Episcopatus sufficerent. Quæ in vita eiusdem Episcopi latius sunt percripra. At Kmitha nihil horum de hoc matrimonio indignè egit, sed Regi magno animo, vti fidelis Consiliarius & amator Regni restitit, matrimoniumque illud ratum habere noluit, rescindereque adnixus est. Verum cum id nisi Rex Regno pelleretur perficere non posset, Rege vxorem turpem deserere nolente, Tarnouioque & Macieiuio eum defendente ac confirmante, Kmitha donec vixit abalienato à Rege fuit animo, & à curia consilioque eius se subducebat. Vnde laudem boni & fortis viri, & Reipublicæ amatoris est consecutus. Illi contra duo odium & execrationem sibi compararunt, & turpes ac sprete habitus sunt.

De Simultate & inimicitia eius cum Ioanne Tarnouio.

ET licet cum cæteris omnibus concorditer & amantèr vixerit, cum Ioanne de Tarnow auunculo suo Castellano Cracouiensi & exercituum Regni Poloniæ Capitano Generali, grauissimas simultates à iuuentute summutuo exercuit infestisque ac implacabilibus odibus.

dijs alter alterum magno Reipublicæ malo persecutus est. Causa odiorum orta iniuuenture amborum erat, quod Tarnouius (Kmitharum in Curia Regis in Lituania erat) bona Sczebrzeszyn, quæ vterque ad se deuoluta arbitratus est, vi occuparat. Quæ res graues inter eos inimicitias excitauerat. Putabatur & hæc altera causa odiorum inter eos fuisse, quod Tarnouius ambitione Regni teneri diceretur. Ad quod consequendum Rotmagistros, Centuriones militum, præfectos milites, nobiles, Castellanos, Officiales quos poterat sibi conciliabat, qui circa illum, quod Dux belli esset non inuicè sese congregabant: Kmitha hoc non concedens, homines itidem ad se pari numero ac potentia, humanitate, meritis, officii largitione trahebat, & impedimenta occulta contra Tarnouium struebat. Ciuitatem etiam Cracouiensem, sedem Regni, cum Rex Sigismundus Primus Rex grandæuus in Lituania agitudinibus conflictabatur, in suas partes adduxit, clauis & portas ciuitatis custodiri, & quæ ad propugnandum opus sunt parari, ac muniri ordinauit. Quo in euentu mortis Regiæ nemini, nisi ipsi Kmithæ, velati Palatino & Capiteo loci ciuitatem liberam asseruarent. Et ob id existimatus est Regnum etiam vt & Tarnouius asseruasse. Qui tamen ad inuicem inter se comparati, Kmitha

Kmitha Tarnouio, homini superbo, iracundo, iniuriam nunquam obliuiscenti, implacabili affectibus laboranti, & in consilijs de Republica in singulos annos mutabili ac vario, ab intelligentibus Senatoribus, quo ad Regni administrationem præferebatur.

Accesserat & alia causa, quæ iras atque odia eorum magis accenderat, ambitio & Magistratus cupido, ambiebat uterque ut superscriptum est Capitaneatum Cracouiensem vacantem post mortem Christophori Szydlouecij, quem Capitaneatum uterque propter eminentiam & merita sua deberi sibi putabat. Sed Regina Kmitham sibi addictum, Tarnouio veluti tumido, & magna quædam animo volenti prætulit, eique Capitaneatum hunc à Rege dari impetrauit. Quò facto suo Regina odia eorum vetera quæ iam prope extincta videbantur resuscitauit, & implacabilia effecit. Tarnouium verò vehementius à se alienauit, multaque odia, & ipsa sibi & Regi marito, & Regi filio parauit. Cæterum ea repulsa adeò vssit Tarnouium, ut irarum plenus Ferdinando Vngariæ, & Bohemiæ Regi sese pro subdito addiceret, & in Bohemiam vbi quædam bona Ecclesiæ, per hæresim olim adempta sibi coemerat, commigrare summa vi contenderet. Et præfectura exercituum Regni

um Regni Poloniæ, publicè & priuatim crebris Regni Comitibus sese abdicaret. Quæ res magnam ei leuis ac impotentis animi notam peperit, & non parum de existimatione eius detraxit.

Hiscæ supra memoratis rebus, animis eorum exulceratis, alter alterum non ferro, sed superbia, tumore, contemptu, tum in Senatu & in sententijs Senatorijs, tum in Iudicij causarum vlciscebatur, & alter alterius seruitores, familiares, amicos, adhaerentes in causis eorum controuersis persecutus est, ut alter alteri ægre faceret. Quam ad rem procuratores, causidicos, rabulas, litigatores, iuris ac iusticiæ subuersores, Iudices etiam uterque ad se trahebat, alebat, consilia versura, ac practicas funestas, ad mutuo nocendum inibat.

Funestum erat videre hos duos summates, pares genere, ætate, nominis claritudine, pares opibus, clientelis, consilio, animo, Magistratibus, pares rebus gestis, sanguinis etiam vinculo coniunctos, dum neuter alteri cedere vellet, adeò implacabilibus odijs mutuam sese vliscisci. Fato quodam ac sydere aduerso ad has tam pertinaces inimicitias nati esse ambo videbantur. Quas cum nequè Rex, neque Senatus, nequè Respublica, nec religio, nec amici tollere possent, eas mors quæ tollit ac finit omnia.

omnia, Kmitha horum altero ex humanis sublato, sustulit, & greges illos rabularum nocentissimorum hominum dispulit, ac discicit.

DE MORTE KMITHÆ

Mortuus est autem Cracouiæ in arce longa ætate consumptus, Sacramentis omnibus Ecclesiasticis procuratus, penitens, contritus, confessus, communicatus, fiduciam salutis in misericordia Dei reponens, domo sua, & rebus bene dispositis, pridie Kalendas Nouembris, Anno Salutis nostræ 1553, ætatis suæ 76, sepultus in Ecclesia Cathedrali Cracouiensi, in sepulchro maiorum suorum, ad quos appositus requiescit expectans resurrectionem mortuorum.

DE VXORIBVS ET FINITO Kmitarum Genere.

VXores duas habuit, alteram Annam Lucæ de Gorka Castellani Posnaniensis, & Capitanei maioris Poloniæ Generalis filiam, qua steriliter defuncta, alteram superduxit Barbaram filiam Ioannis Herbule Dobromilski, es
qua

qua etiam nulla prole suscepta Kmitha, ipse qui vltimus & propagandæ familiæ suæ spes vnica erat, steriliter mortuus est, in quo stirps mascula Kmitharum extracta est & terminata, ingenti nobilitatis dolore, amplissimo patrimonio Barzys, & Stadniciens nepotibus sororū suarū filijs, relicto.

Ne mirere Lector Kmitharum genus defecisse, ne cur defecerint causas inuestigare contendas, cum occulta sint Dei iudicia, sed si propter peccata dixeris, & quod Deus nolit ex Tyranno Tyrannos nasci, & crescere super terram, non multum à vero aberrabis. Ceterum communis est sors hæc Kmithis, cum ceteris magnis in Regno familijs quæ ante non multos annos cum omni stirpe mascula interierunt, quarum hæc præcipue fuerunt, familia Dambno, Buczac, Hodecz, Haliciorum, Colarum, Struorum, Rithuaniorum, Rzeszouiorum, Jaroslauiorum, Szydloueciorum, Krzepiciorū, Gamratorum, Srzeńskorum, Zabrzezińskorum, Glińskorum, Gastoldorū, Ducum Masouia, Ducum Zatoria, Osuiecimia, Silesia.

Sed & Regia domus Iagellea, Tarnouia etiam, vnā cum ceteris familijs breui post, eodem fine, propter iniusticias interiturae sunt, siue quod omnia in mundo senescant ac intereant, & nil extet sub sole diuturnum preter solam virtutem, & famam bonam aut malam,

312. VITA PETRI KMITHAE

quam horrent viui simul & post fata Tyranni. Non eos mortuos quibus moriendum eras dote, magis plange vicē nostrā, vicē Regni in summo periculo positi, quōd viris magnis iustis, prudentibus, spoliatum est. In quorū loca successerunt filij sui prodigi, alieni appetētes, degeneres, homines superbi, arrogantes, seditiosi, dolosi, Ecclesiarum & Reipublicæ prædatores, stulti, Reipublicæ ignari, hæretici, blasphemi, fidei Catholicæ desertores, falsi Christiani, Iudæis, Turcis, Saracenis nequiores, effrenatæ mentis, adeo perculsi, quos tradidit Deus in sensum reprobum.

An nō certa sūt hæc signa Regni cito perituri. Quandoquidem recessit à nobis Dominus, & abstulit à nobis Regem, Pontificem, Prophetam, sapientem, consiliarium, & vultu venerabilem, & dedit nobis Principes pueros, puerisq; similes & examinatos. Idem confudit consilia nostra, & Spiritum discordiæ ac vertiginis in mentes omnium immisit, excæcauit, vt videntes ac scientes Regnum per seditionem domesticam amittamus, vt tradat nos Deus propter peccata nostra in seruitutem genti crudeli, genti immundæ, genti cuius linguam non intelligamus.

Leuate ergo capita vestra o Procures Poloni.
Quia in proximo est perditio vestra.

LECTOR Amice. Puto te in hac scæna vidisse quibus plausum, & quibus sibilum dares. mei iudicij non est eò te ducere quo ipse eo, vel si iudicij esset, modestia certe non patitur, cui ego quauis hora rem sacram facio: Nec dubito te aduertisse, cum pauculi in vtraque parte se iactent, plurimos in tam frequenti Republica ociosos spectatores fuisse. O pessimum hominum genus & peius cane & angue. Quid enim illi non præstarent si probi essent? quia vero hæc ætas etiam eorum feracissima fuit, nec minori ab illis malo Respublica adfecta, pænam in illos à Diuino Solone sancitam adscribere hic nos abs re visum.

In legibus illis antiquissimis, quæ Athenis axibus ligneis incitæ sunt, quasq; latas ab eo, Athenienses, vt sempiternæ manerent, pænis & religionibus sanxerunt, legem esse Aristoteles refert scriptam ad hanc sententiam.

V 3

Si ob

Si ob discordiam diffensionemque
seditio atque discessio populi in duas
partes fieret, & ob eam causam irrita-
tis animis utrinque arma caperentur pu-
gnareturque, tum qui in eo tempore,
in eoque casu civilis discordiæ, non
alterutra parte sese adiunxerit, sed soli-
tarius separatusque à communi malo
ciuitatis secesserit, is domo,
patria, fortunisque omni-
bus careto, exul,
extorrisque esto.

FINIS,



Biblioteka Jagiellońska



stdr0015330

№ 4982

H. Polon.

& miscella

79

